habuit ante, nam eodem modo eſt Filius poſt mortem, & ante.

Reſpondeo, eandem eſſe difficultatem de omnibus filiis poſt reſurrectionem, itaque negat Doctor aſſumptum; ad probationem inquit, quod poſt reſurrectionem eandem habuit filiationem, quam antè mortem habebat; quotieſcunque enim exiſtit natura ſemel accepta per generationem ab aliquo parente, & exiſtit parens, ſemper eadem reſultat, relatio ſive interrumpatur exiſtentia illius naturæ, & conferatur poſtea ab altero, ſive non; quandocumque igitur exiſtentia fundamenti eſt eadem, & aliud extremum idem, filiatio quoque eſt eadem, & eadem actione, qua fundamentum redit idem, & relatio redit eadem; Nec refert, quod alia productione acceperit eſſe in reſurrectione, quia illa non tollit filiationem, quæ fundatur ſuper illud eſſe acceptum primò per generationem.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An Chriſtus, ut Homo, ſit propriè ſervus Dei.

156 VT in hac quæſtione, quæ magna ex parte eſt de nomine, & de modo loquendi, & quanto minus apud veteres controverſa, tantò magis inter Recentiores agitata poſt invulgationem Concilii Francfordienſis, certa ab incertis ſeparemus; Certum eſt in primis Chriſtum Dominum ſecundum Divinam naturam nullam habere ſervitutem, quia nullam ſubiectionem; ſed quæſtio eſt ſecundum Humanam naturam, per quam Deo ſubiicitur, & ab eo totaliter dependet, ſicut cæteræ creaturæ; Certùm item eſt etiam ſecundum humanitatem conſideratum non eſſe ſervum ſervitute peccati, de qua loquitur Io. 8. *Qui facit peccatum ſervus eſt peccati*, quoniam per peccatum conſtituimur ſub poteſtate Diaboli, ut ab ipſo cruciemur; Rurſus certum eſt Chriſtum ratione humanitatis eſſe à Deo eſſentialiter dependentem, eique ſubiectum, ratione cuius dependentiæ, & ſubiectionis poteſt Deus ad libitum de illa diſponere, eique præcipere, & imperare quicquid libuerit; nec non Chriſtum ratione talis dependentiæ, & ſubiectionis teneri ad parendum, & obediendum Deo in omnibus; Certum eſt tandem ratione perſonalis unionis, & nexus cum hypoſtaſi divina, eandem humanitatem evectam eſſe ad participandum eundem cultum adorationis, & ſedem maieſtatis cum Deo; Undè ſolum ſupereſt quæſtio de modo loquendi, an ratione talis dependentiæ, & ſubiectionis, quam adhuc humanitas cum participatione huiuſmodi divinorum titulorum retinet, in aliquo ſenſu proprio dici poſſit ſerva; & ratione illius Chriſtus denominari ſervus.

157 Negat Vaſquez *diſp.* 80. dicens per hanc vocem *ſervus*, ſignificari naturam, non ſolùm alteri ſubiectam, ſeu qua Dominus uti poſſit pro ſuo libitu, ſed quæ non communicet in bonis cum Domino; poſita autem hac ſignificatione, certum eſt humanitatem Chriſti non poſſe dici ſervam Dei, nam communicat in bonis cum Deo ipſo, quia eſt phyſicè cum Deo unita; quem dicendi modum ſequuntur Granadus, Lugo, Hurtadus, Orlandus, Becanus, Turrianus, Amicus, Paſqualigus, & ex noſtris Vulpes, & Centinus, & alii quam plures, qui negant Chriſtum ſecundum humanitatem dici poſſe ſervum Dei, propriè accipiendo ſervum, ſed tantùm metaphoricè, & allegoricè. Affirmat è contrariò Suarez *diſp.* 44. dicens ad rationem ſervi ſolùm requiri, ſeu per vocem *ſervus* ſolùm ſignificari eam naturam, quæ eſt ſub poteſtate alterius, itaut poſſit ille alius uti pro ſuo libitu tali natura; qua etiam ſignificatione ſuppoſita, ceſſat è contrariò omnis quæſtio, nam in hoc ſenſu certum eſt humanitatem Chriſti eſſe ſervam Dei; licet enim communicet cum Deo in bonis, adhuc tamen poteſt Deus ea uti pro ſuo libitu, quem dicendi modum ſequuntur Valentia, Lorca, Ragula, Cabrera, Alvarez, Bernal, Bonacina, Arriaga, Morandus, Caietanus, Medina, Tannerus, Meracius, Caſpenſis, & alii; Ex quo patet totam quæſtionem, ut dicebam, eſſe de nomine ſervi, an hoc præcisè ſignificet, quod ait Suarez, an illud etiam, quod addit Vaſquez.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæſtionis Reſolutio.

158 PRo quæſtionis reſolutione recolendum eſt ex Scoto 4. *diſt.* 36. *quæſt. un.* ab initio, ſervitutem quandoque ſumi impropriè pro quacunque ſubiectione, quo pacto etiam ſubiecto filialis ad Patrem dici poteſt ſervitus; propriè verò ſervitus eſt talis ſubiectio, ſecundum quam Homo eſt ita Domini, ut poſſit à Domino more pecudum vendi ex Ariſt. 1. Polit. *c.* 3. hoc eſt, ſervitus propria eſt, qua ſervus dicitur eſſe omninò, & ſimpliciter Domini, adeout poſſit de illo omninò ad libitum diſponere; Undè qui alteri propria voluntate ſe ſubiicit, & miniſtrat, mercedem accipiendo, propriè ſervus non dicitur, ſed potius miniſter, & mercenarius, quia non eſt omninò, & ſimpliciter ſub Domini poteſtate, quia non ex neceſſitate illi ſubiectus eſt, ſed ex proprio libito; quare ille ſolùm propriè ſervus dicitur, qui ex neceſſitate alteri ſubditur, & dici ſolet mancipium. Iſta autem neceſſaria ſubiectio ſervitutem conſtituens propriè dictam, ut P. Bellutus *obſerv. diſp.* 9. *q.* 2 *art.* 3. vel attendi poteſt in ordine ad Deum, vel in ordine ad creaturam; prima dicitur ſervitus naturalis, qua creaturæ omnes ſunt ſervæ Dei, & hæc fundatur in eſſentiali dependentia creaturarum à Deo, quæ talis, ac tanta eſt ut ex natura rei implicet eximi à tali dominio. At ſi eſt in ordine ad creaturam, talis ſervitus, inquit Doctor non eſt inducta à natura, ſed à lege humana poſitiva; contrahitur enim vel iure belli, vel nativitate, vel emptione, vel iuſta Iudicis condemnatione; unde dicitur ſervitus legalis, & politica, non naturalis, quia iſta neceſſaria ſubiectio unius hominis ad alium non ex natura rei ſed ex hominum arbitrio provenit. Ex quo deducit Doctor, ſervitutem primi generis eſſe veriorem, & magis propriam, utpotè ex natura rei ortum ducentem, alteram verò non ita propriam, ſed per analogiam ad illam, & eius imitationem, quatenus ſicut Deus de creatura poteſt ad libitum diſponere, ſcilicet, creare, vel non creare, vel conſervare, aut in nihilum redigere; ità ſuo modo humanus Dominus poteſt ad libitum de ſervo diſponere tanquam de re omninò, & neceſſario ſuæ poteſtati ſubiecta.

Huius autem humanæ, & legalis ſervitutis tres ſolent aſſignari conditiones ut notant Suarez *diſp.* 44 *cit ſect.* 1. & *Vaſq. diſp.* 80. *c.* 4 & 8. Prima eſt, ut ſervus Domino obedire teneatur: Secunda, ut non ſit ſui iuris: Tertia tandem, ut cum Domino nec in bonis, nec in honore, nec in ſede communicet; vel ut alii loquuntur, ut non habeat ius ad hæreditatem Domini; quæ quidem ultima conditio ſumitur ex *Ariſtot.* 8. *Ethic. c.* 11. ubi inquit, quod ſervus, ut ſervus, nihil habet commune cum Domino; Quæ quidem conditiones cum ſint propriæ ſervitutis humanæ, & legalis, non video qua ratione à Vaſquez applicentur quoque ſervituti naturali, qua creaturæ ſunt ſervæ Dei, ut hinc deducat Chriſtum ſecundum humanitatem non eſſe Dei ſervum, nec ſervitute legali, nec naturali, quia tertia conditio illi non convenit, cùm ſecundum humanitatem habeat ius ad hæreditatem Dei, & cum eo communicet in bonis, in honore, & ſede. Non video, inquam qua ratione tres iſtæ conditiones ſervitutis legalis, & politicæ, debeant quoque ſervituti naturali convenire, quæ ſolùm reperitur in creatura in ordine ad Deum, & præcisè conſiſtit in tali dependentia creaturæ à Deo ut poſſit de ea ad libitum diſponere, omninò ab hoc præſcindendo, quod cum eo in bonis communicet, vel non; Quamvis ergò primæ duæ conditiones etiam ſervituti naturali applicari queant: tertia tamen eſt ità ſervitutis legalis propria, ut naturali convenire nequeat: undè etiam Dominus definitur, qui poteſt uti re aliqua pro ſuo libitu contra alterius voluntatem ſine eius iniuria, in qua definitione nihil penitus dicitur de non communicatione in bonis, quam negationem communicationis contendit Vaſquez ſignificari per vocem Domini, & ſervi, non tantùm legalis, ſed etiam naturalis; quæſtionem reducens ad puram de nomine controverſiam, & communibus definitionibus particulas addens, quæ in ipſa definitione non ſubintelliguntur. His præacceptis.

Dico primò, in Chriſto ſecundum humanitatem non reperiri ſervitutem legalem, vel politicam reſpectu Dei; In hac 160
concluſione conveniant Auctores utriuſque ſententiæ, & ratio eſt manifeſta, quia ſervus legalis, ut talis, nihil habet commune cum Domino ex 8. *Ethic. c.* 11. at Chriſtus, ut Homo, habet ius quoddam, ſeù diſpoſitionem de congruo in Divinam hereditatem propter unionem ad Verbum, qua ratione, ut Homo, nequit, dici Filius Dei adoptiuus, ut conſtat ex dictis *qu.* 4. ergo ut Homo, multò minus erit ſeruus in hoc ſenſu, qui inferioris eſt conditionis quam ſit Filius adoptiuus. Confir. quia ad ſtatum mancipii inter homines opus eſt, ut ſeruus non communicet cum Domino in bonis, in honore, & ſede, hoc enim differt ſervus à mancipio; at Chriſti humanitas, ſeù Chriſtus, ut Homo, non habet conditionem ſervilem, aut mancipii notam, ſed per unionem hypoſtaticam ad ſtatum ingenuitatis evectus eſt, quia ratione talis unionis habet ius ſaltem de congruo ad hæreditatem Dei, & communicat cum illo in bonis, in honore, & ſede; in bonis quidem iuxta illud Coloſſenſ. 2. 9. *In ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; in honore, & ſede iuxta illud Heb. 1. 3. *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis*; ergo Chriſtus, ut Homo, non eſt ſervus ſervitute legali, & humana, quæ dici ſolet ſervitus mancipii, & cum ſit vilis admodum conditionis, utpotè quæ ingenuitatem excludit, à Chriſto Domino removenda eſt. Denique probatur à ſimili, quia matrimonium nativa efficacitate facere poteſt, ut ſi Dominus contrahat cum ancilla, liberetur illa à nota ſervitutis, & conſequatur ſtatum ingenuitatis, quia per matrimonium communicatur uxori dignitas nominis, quo maritus inſignitur ex authentica de Conſulibus §. *ſi autem uxorem* collat. 4. & lege *mulieres*, Cod. de Dignitatibus lib. 12. ſed maiori vinculo humanitas Chriſti fuit Deo unita quàm ancilla per matrimonium; ergo ex vi talis unionis removetur tantò magis ab ea conditio vilis ſervitutis ingenuitatem excludens.

161 Hoc idem probatur pluribus, & expreſſis SS. Patrum teſtimoniis aſſerentium Chriſtum, ut Hominem, ex hoc, quod eſt Filius Dei proprius ob hypoſtaticam unionem non eſſe dicendum ſervum, quod eſt intelligendum de ſervitute legali, & mancipii ingenuitatem excludente, ut eſt videre apud Vaſquez, & alios fautores partis negativæ; & ità inter alios præſertim loquitur Damaſcenus *lib.* 3. de Fide *c.* 10. ubi loquens de Chriſto, ut Homine, inquit *ſanè ſervilis ordinis eſſet, caro, niſi verbo copulata eſſet, at cum ſemel, & perſonaliter unita ſit, quonam pacto in ſervilem claſſem redigetur*: Et infra, *illi autem, qui ſervum eum dicunt, unum Chriſtum in duos inſtar Neſtorii dividunt*, quare concludit ratione unionis cum Verbo, & communicationis cum bonis non poſſe humanitatem Chriſti redigi in ſervilem claſſem. Et *lib.* 4. *c.* 10. eandem habet doctrinam nam loquens de humanitate Chriſti ait, *niſi caro Chriſti Verbo copulata fuiſſet, ſerva proculdubio, & ignorans extitiſſet; verum ob perſonalem cum Verbo unionem id habuit, ut nec ſerva eſſet, nec in ignoratione verſaretur.*

162 Hæc denique fuit mens Concilii Francfordienſis, in quo totam vim faciunt Auctores ſententiæ negativæ, intendit enim à Chriſto etiam ut Homine, excludere ſervitutem mancipii, ſeu legalem ingenuitati oppoſitam, & eam ſervitutem damnat, quæ ab eodem ſubiecto excludit participationem eiuſdem honoris, & excellentiæ cum Deo, cum qua honoris, & excellentiæ participatione non ſtat conditio vilis ſervitutis ingenuitatem excludentis, eſtò cum tali participatione manet eſſentialis ſubiectio, & dependentia eiuſdem Chriſti, ut Hominis, à Deo, in qua fundatur ſervitus naturalis, ut dicemus cõcl. ſeq. Quod autē hęc fuerit mēs Adriani Pontificis, & Concilii ex eo deprehenditur, quia tota, & unica ratio ab ipſis adducta, cur Chriſtus neque, ut Homo, dicendus ſit ſervus, eſt quia eadem eſt perſona Dei, & Hominis in Chriſto, quæ *perſonæ unitas*; inquit Concilium, *adoptionis, & ſervitutis tollit iniuriam, nam ſi Deus verus eſt, qui de Virgine natus eſt, quomodo tunc adoptivus eſſet, vel ſervus?* Propter unionem igitur hypoſtaticam vindicat Concilium naturam humanam Chriſti a nomine ſervitutis. Et eandem rationem indicat Adrianus in ſua Epiſtola *col.* 6. illis verbis: *Numquid docuerunt eum eſſe ſervum, vel adoptivum prædicare, cum univerſalis Eccleſia Evangelio, & Apoſtolicis imbuta documentis Deum, ac Dominum ſuum in dextera Patris ſedentem profitetur*, ubi ex communicatione in ſede, & honore Patris deducit non eſſe ſervum, ac etiam ex unione hypoſtatica, cum inquit: *Nam Deus, & Homo erat, qui ſecundum Deum dicebat; Ego & Pater unum ſumus, & ſecundum humanitatem Pater maior non eſt, non autem Pater Dominus meus eſt.* Et tandem, quod hæc fuerit mens Pontificis, & Concilii colligitur evidenter ex ipſo errore Elipandi, qui in eo Concilio damnatus fuit cum Fælice; hi enim aſſerebant Chriſtum, ut Hominem, eſſe ſervum, quia putabant illum non natura, ſed adoptione eſſe Filium Dei, ut conſtat ex dictis *quæſt.* 4. undè in modo ſaltem loquendi Chriſto negabant, ut homini, participationem eiuſdem dignitatis, & excellentiæ cum Deo, atque ideò Chriſto tribuebant conditionem vilis ſervitutis ingenuitatem excludentis, qualis eſt ſervitus legalis, & mancipii quæ à Chriſto omninò removenda eſt etiam, ut homine.

163 Dico ſecundo, in Chriſto ſecundum humanitatem reperiri ſervitutem naturalem reſpectu Dei. Hæc concluſio adeò evidens eſt, ut neque Auctores ſententiæ negantis eam renuant, ut poſtea dicemus, & probatur, quia Chriſtus ſecundum humanitatem tenetur Deo obedire, & quamvis ſit humanitas hypoſtaticè unita Verbo, adhuc tamen eſt ſub imperio divino, ut poſſit à Deo ad libitum annihilari, eſt enim ens à Deo dependens, & creatura, poteſtque Deus de ea ad libitum diſponere, in qua dependentia fundatur ſervitus naturalis. Confirmatur, quia ſervitus naturalis conſiſtit in ſubiectionis alicuius ſub iure, & poteſtate alterius, itaquod ad libitum de eo diſponere poſſit, ut Ariſtot. docet 1. Polit. *c.* 3. dicens, *Quicumque ſui ipſius non eſt ſecundum naturam, ſed alterius, homo autem eſt, hic natura eſt ſervus*, ſed ſic ſe habet Chriſtus, quatenus homo, reſpectu Dei, eſt enim vivens intellectuale, verèque & ſimpliciter Dei, non enim per unionem ad Verbum ſubtracta eſt eius humanitas à pleniſſimo iure, ac dominio Dei, itaut etiam poſt unionem potuiſſet Deus de potentia abſoluta pro ſuo libitò, abſque ulla iniuria abſolutè de illa diſponere, ac etiam à ſe dimittere, & ſeparare, imò, & annichilare; ergò verè, & propriè in hoc ſenſu eſt ſervus Dei; Conſequentia patet, quia quælibet poteſtas Superioris circà ſubditum cum dominio illius, ſicut Superiorem conſtituit dominum, ità ſubditum conſtituit ſervum, ſiquidem ſervus eſt correlativum Domini; Minor etiam conſtat quia Deus tam eſt abſolutus Dominus Chriſti ſecundum naturam humanam, quàm cuiuſcumque alterius creaturæ humanæ vel Angelicæ; ergo Chriſtus ſecundum humanitatem inſpectus tam verè eſt ſervus Dei ſervitute naturali, de qua eſt ſermo, quàm quævis alia creatura Angelica, vel humana; & licet ſola ſubiectio in humanis ſervitutem naturalem non inferat, ſicut filius reſpectu Patris, uxor reſpectu mariti, & vaſallus reſpectu Principis, ſubiectio tamen creaturæ ad Deum, quia maior, rationem ſervitutis naturalis poterit inferre.

Ex hoc adeò Clarum eſt, ut nec adverſarii ipſi negare id audeant, undè Luiſius, Turrianus perpetuus, Vaſquez Latero *opuſc.* 13. *diſp.* 1. de Ingenuitate Chriſti *dub.* 5. inquit ſibi placere concedere in Chriſto ſervitutem generalem ſubiectionis naturalis diſtinctam à ſervitute mancipii, quia non video, inquit efficacem rationem ad probandum non eſſe aliam ſervitutem, niſi mancipii; imò oppoſitum ait apparere probabilius, quia poteſtas Superioris circà aliquem ſubditum cum dominio illius, videtur peculiaris ratio dominii in ſuperiori, & ità ex parte ſubditi reſpondet ratio ſervitutis in ſubdito. Deindè cum ſibi obiiceret, quod ſubiectio debet à ſervitute diſtingui, eam multi ſunt ſubiecti Superiori alicui, qui tamen ſecundum propriam ſignificationem non ſunt ſervi, ſicut Filius reſpectu Patris, uxor reſpectu Mariti, & vaſſali reſpectu Principis; ergò ſola ſubiectio ad rationem ſervitutis non ſufficit.

Reſpondet ſtatim aſſumptum eſſe veriſſimum, & conſecutionē legitimam; ſed nos, inquit, in Chriſto reſpectu Dei non ſolùm cōcedimus ſubiectionem, ſed ſubiectionem talem, ut Deus etiam habeat perfectiuus dominium humanitatis Chriſti, quam quilibet homo habeat reſpectu ſui mancipii; undè concludit non adeſſe cauſam, ob quam negemus in Chriſto ſervitutem naturalis ſubiectionis, reſpectu Dei, pręſertim, quia hęc ingenuitatē non excludit, cùm talis, dependentia ſit pura conditio naturæ. Et in hoc denique ſenſu non ſemel Scriptura, & SS. Patres Chriſtum ut hominem, ſervum Dei appellarunt, ut *Pſal.* 115. *Ego ſervus tuus & Filius ancillæ tuæ*, & Iſa. c. 42. *Ecce ſervum meum, ſuſcipiam eum*, & Phyl. 2. *Formam ſervi accipiens* Et Auguſt. Epiſt. 178. *Non ſolùm ſubditum, ſed etiam ſervum confitemur*. Ambroſius 5. de fide cap. 6. *Non igitur præiudicet; quod ſubiectus dicitur, cui non præiudicat quod filius legatur*, & Cyrillus *lib.* 12. theſauri *c.* 15. *Servus factus eſt, quia verè homo*, & ſic paſſim alii loquuntur.

Non iuvat dicere cum Vaſquez hæc, & ſimilia loca in ſenſu 165
allegorico eſſe intelligenda, eo pacto quo aliàs Chriſtus dicitur Agnus, Ovis, Leo, Petra ut exponit Adrianus Papa in Epiſt. cit. Non iuvat, inquam, quia tunc nomen dicitur de aliquo per figuram, & metaphoram, quando per ſe quidem, & directè ſignificat aliud, ſed ob ſimilitudinem aliquam, & convenientiam transfertur ad id, quod metaphoricè dicitur; At profectò non ità a Scriptura, & Patribus pronunciatur nomen ſervi de Chriſto; ſed potius per ſe habet unam talem ſignificationem, qua denotat ſubiectionem antea explicatam, & ſub tali ſignificatione per ſe & propriè convenit Chriſto, & ſic ſanè loquuntur Patres, & Scripturæ, dùm hoc nomen Chriſto attribuunt; de mente verò Adriani dicemus infrà. Tùm quia ſic ſemper exponendo loca Scripturæ, anſam præberemus Hæreticis eludendi argumenta per ſenſus figuratos ex Scriptura deducta; undè cùm in propoſito doceat Apoſtolus duplicem formam eſſe in Chriſto, nempè formam Dei, quæ eſt divinitas, & formam ſervi; quæ eſt humanitas; ſi nos per naturam humanam dicamus Chriſtum tropicè, & allegoricè dici ſervum, ipſi è contrà dicent, vel dicere poſſent, per naturam divinam, vel per formam Dei non verè dici Deum ſed per methaphoram tantùm, & allegoricè.

Itaque patet ex dictis, quomodo in Chriſto ſecundum huma- 166
nitatem ſit verè, & propriè reſpectu Dei ſervitus naturalis, quæ in ſubiectione, & dependentia iam explicat conſiſtit, quam habet univerſaliter omnis creatura ad Deum, quare ſi propter hoc dominium abſolutum, & diſpoticum in quamcumque creaturam, illam immutandi, deſtruendi, & pro arbitrio de ea diſponendi, Deus verè eſt abſolutiſſimus Dominus illius, & illa verè, & propriè ſerva eius; conſequenter propter eandem rationem erit abſolutiſſimus Dominus Chriſti ſecundùm humanitatem, & hic ſecundum eandem humanitatem verè, & propriè ſervus eius in hoc ſenſu. Quare ſola reſtat de nomine difficultas, an ratione talis ſervitutis naturalis poſſit dici Chriſtus ſimpliciter, & abſolutè ſecundum humanitatem ſervus Dei; in qua quidem quæſtione de nomine, & modo loquendi inquit Turrianus *loc. cit.* quòd loquendo de ſervitute ſubiectionis naturalis, aliqui concedunt poſſe ſimpliciter Chriſtum dici ſervum ſecundum proprietatem ſermonis, quod & ipſe approbat, addens hanc etiam ſubiectionem dici poſſe propriè ſervitutem ut diſtinguitur contra metaphyoricam, non tamen ut diſtinguitur contra ſervitutem communiter ſumptam. Sed quicquid hic Auctor intelligat per ſervitutem communiter dictam, eo ipſo, quod conceditur in Chriſto ſecundum humanitatem reperiri ſervitutem naturalem propriè dictam, & non tantùm metaphoricè, conſequenter concedendum eſt Chriſtum ſecundum humanitatem propriè dici poſſe, ac debere ſervum Dei; qui

Deus tam eſt abſolutus Dominus Chriſti ſecundum humanam naturam, quàm cujuſcumque alterius creaturæ humanæ, vel Angelicæ; ergò Chriſtus ſecundum naturam humanam ſpectatus, tam propriè eſt Dei ſervus, quàm quævis alia creatura Angelica, vel humana; dominium namque nihil aliud eſt, quàm poteſtas diſponendi de re aliqua per propriam auctoritatem in omnem uſum, abſque injuria alterius; hanc verò poteſtatem habet Deus circà humanitatem Chriſti, ſicut circa quamcumque aliam naturam creatam; & nomine ſervitutis communiter intelligitur ſubiectio tali poteſtati correſpondens.

167 Accedit, quod ſupra docuimus ex Scoto *4. diſtinct. 36. qu. un.* neceſſariam ſubiectionem, quam quælibet creatura habet in ordine ad Deum, quæ dicitur ſervitus naturalis, eſſe unionem, & magis propriam ſervitutem, quam ſit ſervitus ligalis, & humana, quam habet unus homo reſpectu alterius, quia hæc ſubiectio non oritur ex natura rei, ſicut illa, ſed ex hominum arbitrio provenit, & ex lege poſitiva; undè hæc poſterior ſervitus, ſcilicet, legalis, & humana dicitur per analogiam, & imitationem illius, quatenus ſicut Deus de creatura ad libitum poteſt diſponere, ità ſuo modo humanus Dominus poteſt de ſervo ad libitum diſponere, tanquam de re omninò, & neceſſariò ſuæ poteſtati ſubiecta; ſi ergò ſubiectio naturalis creaturæ in ordine ad Deum eſt vera, & propria ſervitus, & adhuc magis propria, quam ſervitus, & ſubjectio legalis unius hominis ad alium, nihil penitus obſtat, quia Chriſtus, ut homo, cum omni proprietate dicatur ſervus Dei; quod eo vel maximè aſſerendum eſt, quia ſervitus naturalis non excludit ingenuitatem Chriſto convenientem, ſed bene cùm ea componitur, ut ſupra declaratum eſt. Et hunc loquendi modum etiam Sancti Patres expreſsè docuerunt; undè Athanaſius ſerm. 3. contra Arrianos, ait: *In confeſſo eſt, cùm hominem eſſe factum nihil diſcriminis attulerit, ſive ſeruus, ſive filius appelletur, omnes enim iſtiuſmodi vocula in ratione humanitatis benè, & propriè competunt;* & Chriſoſtomus exponens illud ad Philippenſ. 2. *Formam ſervi accipiens*, ait. *ſicut in forma Dei, perfectus eſt Deus; ità in forma ſervi perfectus eſt ſervus.*

168 Reſpondet Amicus *diſp.* 28. ad relationem ſervitutis propriè dictæ non ſufficere phyſicam, & poſitivam tantum dependentiam, & ſubiectionem creaturæ ad Deum, ſed requiri præterea negationem participationis in eiſdem bonis, & titulis cum Deo, quam negationem cùm non habeat Chriſtus, ut homo, non poteſt neque ut homo, ſervus propriè nuncupari: Addit inſuper, quod ſi per verum, & proprium dominium intelligatur plena, & perfecta poteſtas diſponendi de humanitate Chriſti ad omnem uſum, ad quem voluerit Deus, nec non ſuprema auctoritas præcipiendi illi quicquid Deo placuerit, concedendum eſt juxta hunc ſenſum eſſe in Deo verum, & proprium dominium in Chriſti humanitate, cui ex parte humanitatis correſpondet propria, & perfecta ſubiectio: Si verò per proprium dominium intelligatur, ut in illam jus habeat, tanquam in veram, & propriam ſervam, negandum eſt in hoc ſenſu in Deo eſſe verum, & proprium dominium in Chriſti humanitatem, nam ex quo habet illam hypoſtaticè conjunctam, non poteſt illam reſpicere, ut ſervam; ſicut ex quo habet illam perſonaliter ſibi unitam, non poteſt reſpicere illam, ut adoptivam, & conſequenter nec Deus dici poteſt verè, & propriè adoptivus Pater illius.

169 Verùm falſum eſt ut conſtat ex dictis, de ratione ſervi eſſe, ita ſub alterius dominio conſtitui, ut cum eo nec in bonis, nec in honore, nec in ſede communicet, & licet id concedamus de ſervitute legali, nullatenus tamen concedendum eſt de ſervitute naturali fundata in eo ſolùm, quod quis rationis compos à Deo conditus ſit, Neque in definitione dominii, ut ſic, ponitur quod dominus nullam debeat habere communicationem in bonis cum re, vel perſona, cuius eſt dominus, præſertim per communicationem intelligendo unionem hypoſtaticam qualem habet Deus cum humanitate Chriſti; Dominium enim definitur, quod ſit jus utendi re aliqua in omnes uſus ſine iniûria alterius; & Dominus qui poteſt uti re aliqua pro ſuo libitu contrà alterius voluntatem; in qua definitione nihil penitus dicitur de non communicatione in bonis, quam dicunt Adverſarii eſſe de ratione ſervi, ut ſic; ergò eo ipſo, quod Deus tale dominium habet in humanitatem Chriſti, cenſendum eſt habere dominium in illam, tamquam in veram, & propriam ſervam; Neque eſt eadem ratio de ſervo, & Filio adoptivo, nam eſſe Filium adoptivum ſignificat eſſe extraneum, & non naturalem, vel proprium; at eſſe ſervum non repugnat ſuppoſito divino ſecundum naturam humanam, ſicut ſecundum eandem non repugnat mori, quo magis alienum eſt à ſuppoſito divino quàm eſſe ſervum, ut magis explicatur infrà in ſolutione rationum in oppoſitum.

ARTICULUS SECUNDUS

Objectiones ſolut.

In oppoſitum Primò obiicitur contrà primam concluſionem probando, quod in Chriſto ſecundum humanitatem ſpectato reperiatur ſervitus legalis, & humanam, nam ſaltem humanitas conſiderata, ut præciſa à perſona Verbi non participat eandem dignitatem, & excellentiam cum Deo; ergo ſaltem, ut ſic, erit ſerva legaliter, & politicè. Conf. quia etiamſi eoſdem titulos cum Deo participet, ſpectata ut unita Verbo, adhuc tamen altiori jure hi tituli conveniunt Chriſto, ut Deo, quam Chriſto, ut homini, quoniam ut Deo, conveniunt per ſe, & eſſentialiter; ut homini verò tantùm per communicationem idiomatum, & denominativè, ut eſſe immenſum, omnipotentem &c. aut ſecundariò, & propter alium; ut eſſe obiectum, ſeù terminum adorationis, quod Chriſto, ut Deo convenit immediatè, & propter ſe; ut homini, mediatè, & propter aliud, ſcilicet, per ipſam deitatem; ergo non poſſunt in hac ipſa bonorum participatione Deus; & hic homo eſſe æquales, & conſequéter à Chriſto, ut homine, nequit excludi ſervitutis conditio, etiam vilis, & legalis. 170

Reſp. negando conſequentiam, quia ſicut neque humanitas præciſa à Verbo dici poteſt adoptata, quandoquidem licet, ut ſic, non includat poſitivè unionem cum Verbo, adhuc tamen nec poſitivè includit negationem talis unionis, ſeù extraneitatem, ſed in tali ſtatu præſcindit ab utroque, & ſolùm dicit intrinſeca, & eſſentialia prædicata humanitatis; ità in propoſito neque in tali ſtatu poteſt dici ſerva, quia licet, ut ſic præciſa non includat poſitivè participationem ejuſdem honoris, & Maieſtatis cum Deo, non tamen includit poſitivè negationem talis participationis. Ad Conf. pariter negatur conſequentia, etenim ad excludendam conditionem vilis ſervitutis in Chriſto, minimè opus eſt, ut tituli honoris, & majeſtatis eodem modo conveniant Chriſto, ut Deo, ac ut homini; ſed ſatis eſt, quod iidem tituli Chriſto debeantur ſecundum utramque naturam, licet ſecundum divinam debeantur eſſentialiter, & per ſe, & ſecundum humanam ſolùm propter coniunctionem cum divina; ſicut per coniugalem nexum Regis cum hac fœmina, ſtatim communicantur eidem iidem Regi tituli, eſtò non eodem modo, nam Regi per ſe conveniunt, & ut capiti Regni, Reginæ verò propter ipſum Regem, & ut ſociæ Regiæ Maieſtatis. 171

Secundò obiicitur contra ſecundam concluſionem, probando è contrà, quod in Chriſto etiam ſecundum humanitatem ſpectato non reperiatur ſervitus naturalis, præſertim ſi hæc conſtituatur vera, & propria ſervitus; nam Adrianus Papa, & Concilium Francfordienſe cōdemnarunt Elipandum Archiepiſcopum Toletanum, eo quod Chriſtum ſecundum humanitatem filium adoptivum, & Dei ſervum eſſe diceret; Nec ſufficit dicere Pontificem, & Concilium excludere a Chriſto ſecundum humanitatem ſervitutem legalem, & mancipii, quæ eſt vilis conditionis, & ingenuitati oppoſita, qualem Elipandus Chriſto tribuebat, non verò ſervitutem naturalem iure dominii, & creationis. Non ſufficit, inquiunt, nam Adrianus in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, nō ſolùm docet, Chriſtum non eſſe dicendum ſervum, ſed inſuper addit, quando in Scripturis appellatur ſervus, intelligi debere, & allegoricè, & metaphoricè, quemadmodum dicitur Leo, Petra, Agnus, & ita explicat loca Scripturæ veteris teſtamenti, in quibus videbatur Chriſtus vocari nomine ſervi; & in novo Teſtamento inquit, nec ab Evangeliſtis, nec ab Apoſtolis vocari ſervum, ſed Filium, & Deum, non Dominum, ſed Patrem; Undè Matth. 21. in Evangelica parabola Pater familias *prius miſit ſervos, deindè filium*, quo ſignificatur Deum prius miſiſſe Prophetas, qui erant ſervi; deinde Chriſtum, qui erat filius, non ſervus, & ad hoc idem adducuntur à Vaſquez, & aliis plura SS. Patrum teſtimonia nomen ſervi à Chriſto removentium. 172

Reſpondent quamplures Pontificem, & Concilium non damnaſſe in Chriſto ſervitutem naturalem fundatam in conditione naturæ, ſed pœnalem ex peccato contractam, quam ex prima ſua ſignificatione importare videtur hoc nomen *ſervitus*, idque colligunt ex verbis Pontificis in Epiſt. cit. *Adoptiuum eum filiū, quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubiectum, & quod pudet dicere, ſeruum eum impii, & ingrati tantis beneficiis liberatorem noſtrum non pertimeſcitis uenenoſa fauce ſuſſurrare*, Et hanc ſervitutem explicuit Adrianus dici de Chriſto metaphoricè, ſicut metaphoricè etiam dicitur pro nobis factus maledictum, & peccatum, ideſt, ſecundum apparentiam, & in ſimilitudinem ſervi peccati, quo ſenſu nunquam in novo Teſtamento inquit Chriſtum ſervum fuiſſe appellatum, quam expoſitionem amplectitur Bellutus *loc. cit.* Sed quamvis de hac ſervitute recte intelligantur verba quædam Pontificis, & Concilii, & quædam dicta Patrum, ut legenti conſtabit, attamen hæc ſola expoſitio non ſatisfacit, quia ſi ſolam ſervitutem ex peccato contractam Pontifex à Chriſto excluſiſſet, non definiviſſet, 173

omnia

omnia veteris Teſtamenti oracula, in quibus Chriſtus dicitur ſeruus, intelligenda eſſe tropricè, nam illa ſaltem fuiſſent propria de ſervitute fundata in ipſa conditione humanitatis Chriſti.

174 Potius ergo dicendum eſt ex præmiſſis *n.* 162. intentum Pontificis, & Concilii fuiſſe excludere à Chriſto, ut homine, nedùm ſervitutem peccati, ſed etiam ſervitutem mancipii, ſeù legalem ingenuitati oppoſitam, hanc enim præſertim Elipandus Chriſto tribuebat, & Concilium damnat; quia ab eodem ſubiecto excludit participationem eiuſdem honoris, & excellentiæ cum Deo; quam quidem ſervitutem profectò omnes Angeli, & homines habent, quantumvis Sancti, & Beati omnes enim ſunt ità purè ſubiecti Deo, ut non ſimul ſint Deus, nec una realiter perſona cum Deo, & ità ſunt purè ſervi, & filii adoptivi, ut non ſint filii naturales, vel proprii per ſubſtantialem unionem in perſona cum Deo; Hæc, inquam, eſt ſervitus, & adoptio, quam Elipandus Chriſto tribuebat, ac Pontifex, & Concilium acriter damnat; & hoc ſanè ſenſu numquam in Sacris litteris Chriſtus appellatus eſt ſervus, ſicut alioqui nominati ſunt Iob, David, Jacob, & omnes alii quantumvis Sancti hoc nomine *ſervi*. Falſum inſuper eſt, quod Adrianus dixerit, Chriſtum fuiſſe vocatum ſervum per figuram, & metaphoram, ſicut vocatus eſt Agnus, Leo, &c. & ità expoſuiſſe loca Veteris Teſtamenti, in quibus Chriſtus videtur vocari ſervus; ſed ſolùm conceſſit Chriſtum fuiſſe propheticè adumbratum, & myſticè præfiguratum per illos, qui vocati fuerant, & verè erant ſervi Dei ſervitute legali, ſeù mancipii, ſcilicet, per Iob, David, Iacob, quemadmodum notabit Avenſa *q.* 20. *ſect.* 3. ubi etiam advertit, Concilium in ſua Epiſt. utique illa nomina commemoraſſe, quæ dicta ſunt de Chriſto per metaphoram *Leō, Agnus, Lapis, &c.* ſed etiam negaſſe tali modo Chriſtum dici poſſe ſervum, & adoptiuum quia talis metaphora non invenitur in Sacra Scriptura, aut in Eccleſia Catholica, ſicut nec invenitur vocatus lupus, aut vultur, Undè tantùm abeſt, quod Pontifex, & Concilium, dixerint Chriſtum vocatum eſſe ſervum in Scriptura per metaphoram, ut Adverſarii inculcant, quod potius conceptis verbis negant fuiſſe unquam vocatum, aut vocari poſſe ſervum ſervitute legali; & mancipii, quæ ingenuitatem excludit. Et hæc eſt brevis, ac genuina expoſitio illius Concilii in hac materia de Chriſti ingenuitate, de quo tot altercationes inſtituunt Recentiores ad nauſam uſque.

175 Tertiò arguunt ad idem ratione ex eodem Concilio, & Pontifice deducta, nam ille propriè, & in rigore ſervus dicitur, qui in eadem Sede Maieſtatis, & honoris titulo cum Domino non participat; Sed Chriſtus, etiam ut homo, ratione hypoſtaticæ unionis in eadem Sede Maieſtatis, & honoris cultum cum Deo participat; ergo neque ut homo eſt propriè, & in rigore ſervus; Maior conſtat, nam propterea in humanis ſerva nubens cum ingenuo, & libero, non manet amplius ſerva, quia participat eadem ſede tori, & honoris titulo cum viro; minor probatur, nam Chriſtus, ut homo, ſedere dicitur à dextris Dei, adorari eodem adorationis cultu, participare eadem attributa, verè enim, & propriè hic homo dicitur æternus, immenſus, omnipotens, &c. & hæc attributa prædicantur de humanitate in concreto, quatenus includit divinam hypoſtaſim per unionem, per quam exempta eſt à conditione, & ſtatu ſervitutis. Confirmatur, quia nexus matrimonialis, qui longè inferior eſt, ac minor nexu hypoſtaticæ unionis cum Verbo, vim habet ſtatim tollendi omnem ſervitutis conditionem à ſponſa; ergo tantò magis hanc vim habebit nexus, & copula ſubſtantialis humanitatis cum perſona increata Verbi. Tandem ad propriam ſervitutem non ſufficit eſſe alteri ſubiectum, nam etiam Filius in humanis eſt naturaliter ſubiectus Patri, cuius tamen ſervus non eſt, eo quod ratione eiuſdem naturæ vi generationis ſibi à Patre communicatæ, participat eadem bona, eoſdemque honoris titulos cum Patre; ergo neque ut Chriſtus ſit ſervus Dei, ſufficit, ut ſecundum naturam humanam ſit illi ſubiectus, eo quod ratione divinæ perſonalitatis, quam ſubſtantialiter includit, participat eoſdem Maieſtatis, & honoris titulos cum Deo.

176 Reſpondetur ex dictis negando maiorem abſolutè ſumptam, licet enim illam concedamus de ſervitute legali, & politica, quæ ingenuitatem excludit; negatur tamen de ſervitute naturali fundata in eo ſolùm, quod quis rationis compos à Deo conditus ſit, quæ cum ingenuitate compoſſibilis eſt, & ideò Chriſto neganda non eſt: Ad Confirmationem negatur paritas, quia vir poſtquam ſervam duxit in uxorem, non habet amplius eam deſpoticè in ſua poteſtate, ſicut anteà, & ideò non eſt amplius eius Dominus in rigore; at humanitas Chriſti, quamvis maiori nexu Deo unita, nempe ſubſtantiali, non ob id exempta eſt à divina poteſtate, & iuriſdictione; ſed æquè manet ei ſubiecta, ſicut ſi unita non fuiſſet, ideoque rectè adhuc unita dicitur ſerva Dei ſervitute naturali; quare aſſumpta paritas ad ſummum valet de ſervitute legali; quod ſi nexus coniugalis vim habet tollendi à ſponſa omnem conditionem legalis ſervitutis, tantò magis hanc vim habet unio hypoſtatica in humanitate Chriſti; Ex quo etiam deduci poteſt argumentum ad probandum hanc ſubiectionem humanitatis Chriſti ad Deum dici poſſe, ac debere ſervitutem propriè, & in toto rigore; ac etiam potiori iure quàm ſervitus legalis, quia hæc tollitur per vinculum matrimonii, illa verò naturalis ſubiectio talis, ac tanta eſt, ut neque tolli poſſit per vinculum unionis hypoſtaticæ, quæ eſt omnium maxima; Cur ergo, ut bene urget Pater Bellutus, non poterit hæc ſubiectio dici ſervitus propriè, & in rigore, ſi alia ſubiectio minor, qualis eſt unius creaturæ ad aliam ex lege poſitiva, & hominum arbitrio dicitur propria, & rigoroſa ſervitus? Ad ultimum negatur etiam paritas, quia licet ſola ſubiectio in humanis ſervitutem non inferat, ut patet in Filio reſpectu Patris, in uxore reſpectu viri, ſubiectio tamen creaturæ ad Deum quia longe maior eſt, ac altioris ordinis, rationem ſervitutis naturalis inferre poterit; quare rurſus aſſumpta paritas ad ſummum de legali ſervitute valere poterit, quod ſicut coniunctio filii cum Patre in natura ſibi communicata facit, ut eius ſubiectio non ſit per modum legalis ſervitutis, & mancipii, quia vi talis unionis participat eadem bona eoſdem honoris titulos cum Patre; tantò magis hanc vim habet hypoſtatica unio in humanitate Chriſti, tollendi omnem conditionem ſervitutis legalis, & mancipii; non tamē ſervitutis naturalis, quę fundatur in ipſa conditione naturę, non enim per unionem ad Verbum ſubſtracta eſt à pleniſſimo iure ac dominio Dei, nam etiam poſt unionem potuiſſet Deus de potentia abſoluta pro ſuo libito abſque, ulla iniuria abſolutè de illa diſponere, ac etiam à ſe dimittere, & ſeparare, immò & annihilare.

Quartò arguunt, Chriſtus eo quod ſit Filius Dei naturalis, vel proprius, non poteſt dici adoptivus; ergo multò minus poterit dici ſervus; aſſumptum patet ex dictis *q.* 4. conſequentia probatur, quia magis alienum eſt à filiatione naturali, vel propria eſſe ſeruum, quàm eſſe Filium adoptivum. Confirmatur, quia Patres Concilii Francfordienſis omnem ſervitutem excludunt à Chriſto ex eo, quod definiat Chriſtum in utraque natura eſſe Filium Dei proprium, non adoptivum, nam in Epiſtola ad Epiſcopus Hiſpaniæ §. *credimus ex hac ſancta Trinitate* definitur in utraque natura Chriſtum eſſe verum Dei Filium, non putatavum, ſed verum, non adoptione, ſed proprietate. 177

Reſpondeo conceſſo aſſumpto, negando conſequentiam, & paritatem de ſervo, & filio adoptivo, nam eſſe filium adoptiuum ſignificat eſſe extraneum, & non proprium, quod divino ſuppoſito repugnat in utraque natura; at eſſe ſervum non repugnat divino ſuppoſito ſecundum humanam naturam; nec refert, quod eſſe ſervum ſit magis alienum a filiatione naturali, vel propria, quam eſſe filium adoptiuum; quia etiam à divino ſuppoſito magis alienum eſt mori, quàm eſſe ſervum, & tamen ei non repugnat ſecundum humanam naturam; hoc autem totum intelligendum eſt de ſervitute, & ſubiectione naturali, non autem legali, quæ ut vilis conditionis, & ingenuitatem excludens æquè vel magis repugnat divino ſuppoſito ſicut ipſa filiatio adoptiva.

Ad Confirmationem dico illos Patres excludere à Chriſto omnem ſervitutem, quæ habet notam aliquam vilis conditionis, vel peccati, vel indigentiæ adoptionis, hanc enim non habet, qui eſt Filius naturalis, vel proprius; non tamen excludere ſervitutem, quæ ſolùm dicit rationem creaturæ quæ eſt deo ſubiecta, & omninò ſub illius dominio: unde in eadem confeſſione fatentur Patres Chriſtum in forma ſervi eſſe minorem Patre; Ità ad verbum reſpondet Turrianus ipſe *opuſ. cit. diſp.* 1. *dub.* 2. ubi ingenuè fatetur Concilium non negaſſe hanc ſervitutem generalem ſine conditione ſervili, quia ſolùm probavit Chriſtum non eſſe ſervum Dei Patris, quia eſt Filius illius, & non adoptiuus; ergo ſolum negavit hunc ſervitutem reſpectu Patris; ſervitutem verò naturalem, quæ ſolùm conſiſtit in ſubiectione naturæ creatæ, quæ omninò eſt ſub Dominio Dei, non excluſit à Chriſto; hæc enim etiam cum filiatione prædicta manſit in Chriſto, ut homine; Tū quia de hoc dubium eſſe non potuit apud Catholicos, an Chriſtus, ſit ſervus, ſumpta ſervitute pro prædictâ ſubiectione, ſed tantum poteſt eſſe quęſtio, an hæc ſubiectio ſit propriè ſervitus, ità Turrianus, etiamſi ſtet pro negativa ſententia: ex quo patet quoad rem nullam eſſet inter citatos Auctores controverſiam, ſed tantùm quoad modum loquendi, & de nomine ſervitutis, an propriè conveniat ſubiectioni naturali, & partem affirmantem iam ſtatuimus tùm firma, ac ſolida ratione, cùm expreſſis Sanctorum Patrum teſtimoniis, nomen ſervitutis tali ſubiectioni cum omni proprietate tribuentium.

QUÆSTIO OCTAVA.

An potentia faciendi miracula in Chriſto fuerit phyſica, vel potius moralis.

178 CErtum eſt, ac de fide, Chriſtum per humanitatem ſuam vera operatum eſſe miracula, & cõſequenter illi communicatam fuiſſe ſupernaturalem virtutem ad illa faciẽda, ut conſtat ex tota Evangelica hiſtoria, & hanc habuiſſe ab inſtanti ſuæ Conceptionis, & permanenter, ac quaſi per modum habitus, non quod fuerit quidam habitus, ſed quod illa pro ſuo libito uti poterat, quia Deus ſemper adſtabat paratus ad eius nutum, eo modo, quo habitibus pro libito uti poſſumus, & hoc ad differentiam aliorum Sanctorum quibus talis potentia communicatur, ſolùm per modum tranſeuntis; Ratio eſt, quia hæc virtus data eſt humanitati vi unionis hypoſtaticæ, ac veluti proprietas eam conſequens; cum ergo hæc unio ſit permanens & perpetua, & fuerit ab inſtanti conceptionis, dicendum eſt tunc illi communicatam fuiſſe permanenter, & per modum habitus; Quæritur ergo in præſenti; an hæc poteſtas ſit verè, & phyſicè effectiva gratiæ, & ſupernaturalium operum; an potius tantùm moraliter. Potentia phyſicè effectiva vocatur illa, quæ realiter, ſeù reali influxu attingit effectum, vel principaliter, ut calor producit calorem, vel inſtrumentaliter, ut idem calor producit formam ignis. Moraliter verò cauſativa eſt illa, quæ non influit in effectum phyſicè, ſed tantùm eſt cauſa, cur phyſica influat, rogando, intercedendo; aliovè ſimili modo impetrando, & obtinendo ab alio, ut faciat opus; quod quidem dupliciter contingere poteſt, vel ex inſtitutione ipſiuſmet phyſicæ cauſæ, quæ ſtatuit exhibita tali re phyſicè operari, & hæc vocatur cauſa moralis inſtrumentalis; Vel ex ſe ipſa habet, ut moveat cauſam phyſicam ad operandum, ut cauſa conſulens, & imperans, & dicitur cauſa moralis principalis, quæ omnia conſtant ex dictis *diſp. 7. Phyſ. q. 1.*

179 Prima ſententia affirmat humanitatem Chriſti habuiſſe potentiam phyſicè, & realiter operativam huiuſmodi effectuum, non quidem per modum cauſæ principalis, ſed inſtrumentalis; ità Thomiſtæ paſſim Capreolus, Caietanus, Ferrara, Nugnus Hurtadus, Baldus, Soto, Medina, Valentia, Albertinus, Tannerus, Puteanus, Orlandus, Suarez, & ex noſtris Vulpes; Non conveniunt tamen in aſſignando modo huius phyſicæ cauſalitatis; quidam enim voluit inditam fuiſſe à Deo humanitati Chriſti qualitatem realem ſupernaturalem permanentem, quæ propriè effectiva eſſet talium operum; Alii dixerunt conſueviſſe Deum imprimere humanitati Chriſti pro ſingulis occaſionibus motum quendam tranſeuntem, quo elevata humanitas; tanquam inſtrumentum Dei, talia opera efficeret, quem motum vocant inſtrumentariam virtutem. Alii verò aſtruunt in humanitate Chriſti, ſicut, & in omni alia natura creata potentiam quandam obedientialem ab eius ſubſtantia indiſtinctam, qua poſſit elevari à Deo, ut inſtrumentum ad phyſicè producendum quemcunque effectum miraculoſum, ac ſupernaturalem, ut Suarez, Tannerus, Albertinus, & communiter Alii Recentiores Noſter tandem Vulpes *diſp. 45.* inquit unionem hypoſtaticam fuiſſe in humanitate Chriſti rationem quandam in genere naturæ inſtrumenti naturalis, qua Chriſti humanitas inſerviebat divinæ omnipotentiæ, tanquam phyſicum inſtrumentum ad efficienda omnia opera ſupernaturalia, quæ fuit opinio Riccardi 3. *diſt. 14. artic. 5. q. 2.* ubi ait humanitatem Chriſti ipſamet unione ad Verbum redditam fuiſſe potentem ad ſic operandum; addit tamen Vulpes unionem illam eſſe rationem inſtrumentalem, non quidem activam, quia non eſt de ratione inſtrumenti, quod agat, ſed ſolùm ſe habere, ut effectum prævium ab agente principali productum.

180 Secunda ſententia communior apud antiquos, & Recentiores docet, hanc potentiam non fuiſſe phyſicam, ſed moralem; ità Alenſis, Divus Bonaventura, Scotus, Durandus, Molina, Vaſquez, Raguſa, Lugo, Caſpenſis, Amicus, Ariaga, Paſqualigus, Averſa, Beroal, Becanus, Bellutus, & paſſim Scotiſtæ, & Nominales; ſolùm eſt aliquod diſcrimen, quod aliqui volunt eſſe cauſam moralem principalem; ita Becanus cum aliis de Incarnatione capit. 10. ubi inquit Chriſtum duobus modis miracula feciſſe, & produxiſſe gratiam: primò phyſicè ſecundum divinitatem; ſecundò moraliter, ſeù meritoriè ſecundum humanitatem, & quidem utroque modo fuiſſe cauſam principalem in ſuo genere, nam ſecundum divinitatem non minus fuit cauſa principalis, quam Pater, & Spiritus Sanctus, quia omnes perſonæ divinæ per eandem virtutem operantur, & omnes in hac virtute ſunt æquales; ſecundum humanitatem dicitur etiam cauſa principalis in genere cauſæ meritoriæ, quia nulli alteri cauſæ meritoriæ ſubordinatur; Alii verò communiter docent humanitatem Chriſti fuiſſe morale inſtrumentum ad opera ſupernaturalia, tam internæ iuſtificationis, quàm externorum miraculorum, quæ quidem lis eſt parvi momenti ut inquit Arriaga *diſp. 41. ſect. 1. n. 24.*

ARTICULUS PRIMUS.

Potentia faciendi miracula in Chriſto fuit moralis, non phyſica.

COncluſio deducitur ex Scoto 4. *diſtinct. 1. q. 1. §. Ex his, & diſt. 2. q. 5.* ubi docet Sacramenta novæ legis à ſolo Deo habere efficaciam; à Chriſto autem, ut à cauſa meritoria, quam tenent Scotiſtæ paſſim, & omnes qui eandem docent ſententiam de efficientia Sacramentorum, & optimè pertractat Pater Bellutus *diſp. 14. q. 2.* excludendo ſingulos modos, quibus Auctores primæ ſententiæ phyſicam cauſalitatem declarare nituntur; ubi etiam notat, quod eſtò probabile ſit Chriſti humanitatem interdum aſſumptam fuiſſe ut phyſicum inſtrumentum ad operandum aliquem effectum miraculoſum, vel ſaltem aſſumi potuiſſe, non per qualitatem ſuperadditam, ſed per virtutem congenitam, non prævia aliqua operatione naturali per ſe ad effectum requiſita, ſed immediatè per ſe ipſam, una cum virtute aſſiſtrice Dei, probabilius tamen eſt ad alios effectus potentiam illam non fuiſſe phyſicam, ſed moralem, illoſque operatam fuiſſe moraliter ſolùm, & impetratoriè.

182 Primò itaque probatur, excludendo ſingulos modos, quibus talis potentia phyſica à prima ſententia declarabitur; non enim eſſe poteſt qualitas aliqua ſupernaturalis humanitati Chriſti à Deo communicata, quia ſi hæc qualitas haberet intrinſecam virtutem ad omnes ſupernaturales effectus producendos, iam eſſet infinitæ virtutis, quia poſſe activè concurrere ad plures, & plures effectus ſpecie diſtinctos dicit maiorem perfectionem, quàm poſſe concurrere ad unum duntaxat ſpecie effectum, ut deductum eſt *diſp. 7. Phyſ. q. 6. art. 5. ex Scoto 2. diſt. 3. q. 6.* Tùm quia vel hæc qualitas eſſet materialis, & corporea; vel ſpiritualis; non corporea, quia non poſſet attingere ſpirituales effectus; non ſpiritualis, quia non poſſet recipi in ſubiecto corporeo; ergo eſt impoſſibilis; Nec valet cum quibuſdam Thomiſtis dicere; illam virtutem concurrere, non ut cauſam principalem, ſed ut inſtrumentum à Deo elevatum, & conſequenter eſſe poſſe corporeum. Non valet, quia vel elevatur illa qualitas per aliam virtutem intrinſecè in ſe receptam, & conſequenter per aliam qualitatem, vel non; ſi dicatur primum de illa alia qualitate procedit argumentum, & daretur proceſſus in infinitum; Si dicatur ſecundum, ſine tali qualitate poteſt elevari humanitas Chriſti, nam ſi iſta qualitas adhuc indiget elevatione, videtur ſuperflua; quia eodem modo poteſt Deus elevare immediatè humanitatem Chriſti, ſicut elevatur illa qualitas.

183 Neque talis potentia humanitati communicata poteſt eſſe motus quidam tranſiens pro ſingulis occaſionibus humanitati Chriſti impreſſus, quo elevata, tanquam inſtrumentum Dei, talia opera efficeret, ut alii Thomiſtæ dicebant: Quia hic motus eſt accidens, & de ſe non videtur neceſſariò perquiri ad alicuius ſubſtantiæ productionem; nec motus aliud munus habere videtur in rei productione, quàm adducere agens ad paſſum quarè ſi agens ex ſe non habet virtutem producendi, vel attingendi effectum, etiamſi adducatur ad paſſum non dicetur in illud agere. Tùm quia hanc potentiam habuit humanitas Chriſti ab initio ſuæ conceptionis, & permanenter, veluti unionis hypoſtaticæ proprietatem, ad diferentiam reliquorum Sanctorum, quibus communicatur tantùm per modum tranſeuntis, ut dictum eſt ab initio quæſtionis, & ideò inaptè ponitur per modum qualitatis tranſeuntis.

Neque talis phyſica potentia humanitati Chriſti communicata poteſt eſſe ipſa unio hypoſtatica, ut Vulpes dicebat cum Riccardo, quia hæc unio per ſe, præciſè, & formaliter, non contulit illi virtutem operandi, præſertim cùm in ſententia noſtra ſit pura relatio extrinſecus adveniens de prædicamento habitus ſed ſolùm valebat ad terminandam naturam loco ſubſiſtentiæ creatæ, per quam quidem ſubſiſtentiam non habet natura vim operandi; ſed habet per ſe ex ſua eſſentia: undè ad ſummum divina ſubſiſtentia, & unio hypoſtatica cum illa valebat ad hoc, ut ratione dignitatis perſonæ, in qua ſubſiſtebat humanitas Chriſti, deberetur poteſtas ad facienda opera ſupernaturalia; quare non niſi radicaliter, & remotè dici poteſt ratione unionis humanitas Chriſti habuiſſe virtutem faciendi miracula. Et ideò Doctores communiter dicunt talem potentiam fuiſſe humanitati Chriſti communicatam, ratione unionis, eamque eſſe conſecutam per modum connaturalis proprietatis; Nec refert, quod in Chriſto perſonalitas divina dicatur principium operis meritorii, vel ſatisfactorii. Non enim eſt principium formale, ſed potius humanitas per gratiam elevata, & quamvis valor, & dignitas ab extrinſeco ſumatur ratione perſonæ, nunquam tamen poteſtas faciendi miracula erit perſonalitas divina; Sed de hoc videatur P. Bel-

P. Bellutus *loc. cit.* ubi hanc partem ſolide avertit, & ſolutiones Vulpes cumulatè impugnat.

185 Secundò probatur, quod talis potentia phyſica operandi miracula, nequeat eſſe potentia obedientialis humanitati Chriſti congenita, & ab eius ſubſtantia indiſtincta, qua poſſit elevari à Deo per modum inſtrumenti ad phyſicè producendum quemcunque effectum miraculoſum, ac ſupernaturalem, ut aiunt Suarez, & alii Recentiores, Probatur, inquam, ex dictis *diſp. 7. Phiſ. cit. quæſt. 6. art. 5.* ibi namque ſtatuimus non dari potentiam obedientialem activam in quolibet ad quodlibet, ſed ſolùm in ordine ad aliquem effectum ſupernaturaliter producibilem, ſed habentem analogiam, & proportionem cum effectu qui naturaliter ab ea cauſa producitur, qua ratione Scotus 3. *diſt.* 4. D. potentiam B. Virginis ad formationem miraculoſam corporis Chriſti vocavit potentiam obedientialem activam. Quamvis ergo humanitati Chriſti poſſit concedi potentia obedientialis activa ad aliquos tales effectus ſupernaturales ſaltem quoad modum, & habentes aliquam analogiam cum effectu ab eadem natura naturaliter producibili, qua ratione potentia motiva inorganica, quam habet anima in corpore glorioſa ſecundum Scotum 4. *diſt. 49. quæſt. 4.* poterat elevari ad productionem alicuius motus inorganici in corpore Chriſti paſſibilis unde quando ambulabat ſuper aquas, dici poteſt virtutem motivam phyſicè influxiſſe in talem motum, & in alios conſimiles, qui poſſunt naturaliter à nobis fieri, ſi à Chriſto fiebant modo quodam extraordinario, ac ſupernaturali. Adhuc tamen dicendum eſt ad alios effectus ſupernaturales talẽ proportionem, & analogiam, non habentes cum effectu naturaliter producibili, potentiam illam non fuiſſe phyſicam, ſed moralẽ duntaxat; & ratio eſt, quam *loc. cit.* innuimus, quia quod divina virtute elevatur ad aliquod efficiendum, debet habere circà illud aliquam virtutem ſaltem inchoatam; at humanitas Chriſti plures, & plures produxit effectus ſupernaturales, ad quos nullam habebat virtutem inchoatam, ut conſtat ex Evangelica hiſtoria, & teſtimoniis infrà adducendis, ergo reſpectu omnium miraculorum ab ipſo factorum potentiam ſolam habuit moralem, non verò phyſicam, alioquin daretur actio ſine virtute agendi.

186 Reſpondet Suarez non ſequi ex hoc, quod detur actio ſine virtute agendi; nam virtus agendi eſt hæc potentia obedientialis activa humanitati congenita applicata ad agendum cum proportionato concurſu; quarè inquit ad id ſufficere concurſum Dei ſpecialem, quo elevatur. Sed Contra: quia concurſus ille non ponit intrinſecam virtutẽ activam in creatura; ergo quod non habet virtutem activam ſaltem inchoatam, non poteſt dici elevari per divinum concurſum; ſic intellectus creatus poteſt utique elevari ad Deum clarè videndum, quia ad hoc cenſetur habere virtutem ſaltem inchoatam, quia ſaltem imperfectè poteſt naturaliter Deũ cognoſcere; at oculos corporeus minimè, quia in ipſo non datur virtus nec quidem inchoata, per quam aliquo modo poſſit ferri in Deum illum cognoſcendo. Quarè poterit utique Deus ad præſentiam talis rei extraordinariè operari, ſed non ob id poterit dici illi cooperari, nam cooperari involuit quod alterũ quodque operetur; at quod non habet virtutẽ operandi, non poteſt dici operari & conſequenter nec aſſumi tanquam concauſa phyſica principalis, aut inſtrumentalis, ſed ad ſummũ dicetur ad talem extraordinarium effectum per modum puræ, & ſimplicis conditionis concurrere, non autem per modum cauſæ, vel inſtrumenti. Conf. quia ideò nec de potentia quidem abſoluta poteſt brutus intelligere, viſus audire, olfactus videre &c. ob omnimodam improportionẽ illarum potentiarum ad tales actus; ergo ad hoc, ut Deus, utatur aliqua creatura, ut inſtrumento requiritur aliqua proportio cum affectu producẽdo; ſed hæc nulla eſt inter humanitatẽ Chriſti, & multa miracula, & opera ſupernaturalia ab ipſo patrata; ergo &c.

187 Dices, datur potentia paſſiva in qualibet creatura, ut in eis, vel ex eis Deus faciat, quicquid placuerit; ergo & activa; conſequentia probatur, quia hoc ſpectat ad totalem ſubiectionem creaturæ ad Deum; qua ratione inquit D. Aug. de Trin. c. 9. & 22. Civ. Dei c. 9. Deum de creaturis poſſe facere aliud, quam earum facultates naturales petant.

Reſpondeo negando aſſumptum, quod detur in omnibus creaturis potentia obedientialis paſſiva ad quodcunque recipiendum; non enim videtur poſſibile Angelum poſſe recipere albedinem, aut poſſe dealbari; & quando etiam concederetur aſſumptum, adhuc neganda eſſet conſequentia, & paritas, quia plus requiritur ad agere, quam ad pati; & potentia activa à toto genere aliquam dicit perfectionem, quam non dicit paſſiva: undè ad potentiam paſſivam obedientialem ſatis eſt, ſi conſideretur eadem entitas creata, ut reſpiciens agens ſupernaturale, quod ei poſſit aliquid imprimere; at activa dicit aliquid poſitivum quo extrà ſe agat. Ad probationem conſequentiæ dicendum, ad totalem ſubiectionem creaturæ ad Deum ſatis eſſe, quod agat, quando voluerit, & quomodo voluerit, dummodò id non implicet; implicat autem creaturam elevari ad agendum, ad quod nullam habet proportionem, vel virtutem ſaltem inchoatam, quia actus ſecundus ſemper ſupponit actum primum, & aliquam virtutem in cauſa ſaltem inchoatam, & incompletam. Quod autem ait Aug. veriſſimum eſt, quia poteſt utique Deus creaturarum elevare ad aliquem effectum producendum, quẽ naturaliter non produceret cum ſolo concurſu generali, quia nõ habet ad illum virtutem ſufficientem, & completam in ſuo ordine; non tamen inquit poſſe illam elevare ad actionem, ad quam nullã prorſus habeat proportionem, & virtutem ſaltem inchoatam.

Tertiò probatur, quia negari nequit, quin reſpectu iuſtificationis noſtræ, ac antiquorum Patrum ſit cauſa duntaxat moralis, & non phyſica; nam præterquamquod hoc expreſsè docet Concil. 188
Trid. *ſeſſ. 6. c. 7.* ubi enumerans cauſas iuſtificationis tam phyſicas, quam morales, Chriſto ſolùm tribuit cauſalitatem moralem; inquit enim, quod *cauſa efficiens eſt miſericors Deus; meritoria autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus;* præter inquam, adeò evidens teſtimonium probatur convincenti ratione, quia Chriſtus eſt cauſa noſtræ iuſtificationis media ſua paſſione, morte, & reſurrectione, ſed iſtæ actiones modò non exiſtunt; ergo nequeunt eſſe cauſa phyſica noſtræ iuſtificationis, ſed tantùm moralis; nam ab eo, quod non eſt, non poteſt phyſicè aliquid dependere. Fuit pariter Chriſtus cauſa iuſtificationis, & gratiæ antiquorum Patrum iuxta illud Ioan. c. 1. *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt;* at rurſus hæc factio gratiæ non poteſt eſſe phyſica reſpectu Chriſti, quia non extitit phyſicè tempore, quo producta eſt; cauſa autem efficiens phyſicè realem exiſtentiam requirit, ut efficere poſſit.

Reſpondent ad hoc mirabilia Thomiſtæ, nam Capreolus, 190
Soto, & Medina contendunt actiones, & paſſiones Chriſti omni tempore operari phyſicè producendo ſupernaturales effectus ac etiam idem præſtitiſſe tempore priori antequam eſſent: Alii verò dicunt actiones, & paſſiones Chriſti potuiſſe phyſicè operari ſolùm tempore, quo fuerunt, & tempore ſequenti, non autem antecedenti. Sed cauſam efficientem phyſicam operari non poſſe quando non eſt, cumulatè oſtendimus in Phyſicis, cùm enim efficere ſit dare eſſe reale per veram actionem, & influxum realem, nec quidem mente concipi poteſt, quomodo talis actio pendeat ab eo, quod non exiſtit. Nec dicas id probare de cauſa phyſica principali, non autem inſtrumentali; Nam neque inſtrumentum agere poteſt ſine virtute agendi, res autem, quæ non exiſtit, nullam virtutem agenti habet, quia nihil eſt, nec enim potentiam naturalem habet, neque obedientialem, quia hæc fundari debet ſaltem in entitate rei; ac per conſequens neque elevari poteſt, neque moveri a primo agente, nec concurſum recipere, cum hæc cadere nequeant in id, quod eſt nihil; ergò non poteſt cauſa phyſicè operari, quando non eſt, nec, inquam, tempore ſequenti, poſtquam fuit, nec tempore priori antequam eſſet. Alii recurrunt ad coexiſtentiam humanitatis in æternitate. Sed præterquam quod hæc coexiſtentia realis rerum in æternitate eſt omnino chimerica, ut conſtat ex dictis lib. 1. ſent. adhuc illa conceſſa, non ſuffragatur in propoſito, quia ut effectus realiter proficiſcantur a cauſa efficiente, non ſolùm illam requirit in æternitate exiſtentem, ſed in ea ipſa temporis duratione, in qua exiturus eſt effectus ipſe producendus; nemo enim diceret hoc tempore, cui Antichriſtus non coexiſtit, poſſe ab eo moveri lapidem ob ipſius coexiſtentiam ad æternitatem Dei. Alii tandem gratis concedunt Chriſtum reſpectu quorundam operum ſupernaturalium non habuiſſe phyſicam potentiam ſed tantùm moralem; illam tamen negandam non eſſe reſpectu aliorum, cùm hoc faciat ad maiorem Chriſti dignitatem; ità Suarez, Hurtadus, Tannerus, & alii Recentiores. Sed planè id gratis omninò dicitur, niſi intelligatur in ſenſu iam tradito *num.* 185. nam præter rationem ibi aſſignatam, nulla alia dicere cogit, Chriſtum fuiſſe cauſam pyſicam aliquorum operum ſupernaturalium, aliorum verò non, ſiquidem eodem uniformi modo in Evangelica hiſtoria dicitur Chriſtus feciſſe miracula. Quod verò additur hanc pyhſicam potentiam faciendi miracula, ſpectare ad maiorem Chriſti dignitatem eſt prorſus falſum, ut ſequenti conſtabit argumento.

Quartò probatur deſtruendo præcipuum adverſæ ſententiæ 191
fundamentum, quod hæc potentia phyſica faciendi miracula ſpectet ad maiorem Chriſti dignitatem; nam ſuppoſita ſemel morali potentia in ipſo faciendi miracula, omninò exiguam, vel potius nullam adfert Chriſto dignitatem ſuprà moralem illam poteſtatem efficiendi miracula; quod Arriaga venuſtè probat à ſimili; parum enim, vel nihil auget Regis dignitatem, ſuppoſita ſemel ipſius poteſtate morali pro libito condendi v. g. Urbem, quod elevaretur phyſicè ad portandos lapides, miſcendam calcem &c. imò hinc arguit ad hominem contrà Tannerum, qui alibi agens, an Cæli moveantur ab Angelis, an à ſolo Deo, ait ab Angelis moveri, quia indignum eſt inquit, Imperatorem ſe phyſicè ad infima ſubiicere v. g. ad accendendum ignem, vertendum verò &c. quæ ratio iam deſtruit præſentem doctrinam, & oſtendit non eſſe è dignitate Chriſti Domini, ut aſſumatur inſtrumentum pyſicum ad ea opera miraculoſa, ut v. g. ad pro-

productionem diſpoſitionum in homine v.g reſcuſcitando, vel in viſu reſtituendo, & ſimilibus. Confirmatur ex Amico *diſp.* 22. illud non facit ad ſpecialem Chriſti dignitatem, quod communicari poteſt omnibus creaturis, & de facto aliquando communicatum eſt; ſed eſſe phyſicum inſtrumentum miraculorum communicari poteſt omnibus creaturis, & de facto communicatum eſt etiam irrationalibus, undè Auguſt. *9. lib.* in Geneſ. ad *lit. cap.* 17. & 18. inquit Deum interdum uſum fuiſſe inſenſibilibus, & irrationalibus creaturis ad miracula phyſicè patranda, ut ſene, ac ſterili fœmina ad pariendum; ligno arido, ad flores, & fructus repentè producendos, aſina ad loquendum; è contrà verò eſſe cauſam condignè meritoriam, & omnium miraculorum impetratoriam, quæ fieri poſſunt à Deo, eſt propria, & ſpecialis dignitas Chriſti, nulli puræ creaturæ communicabilis, cùm hæc ſupponat infinitum valorem perſonæ merentis, & impetrantis; ergo potentia phyſica patrandi miracula non facit ad ſpecialem Chriſti dignitatem. Denique modus operandi miracula per moralem cauſalitatem impetrando, & imperando perfectior videtur, quàm modus illa operandi per modum phyſici inſtrumenti; nam aſſumi, ut phyſicum inſtrumentum ad actiones miraculoſas involuit imperfectionem ex parte modi producendi, quæ imperfectio in eo conſiſtit, quod res aſſumpta per modum inſtrumenti non operetur connaturaliter per intrinſecum principium completum operandi, ſed per extrinſecum duntaxat principium aſſiſtens, elevans, & complens extrinſecè tantùm ad effectus naturam excedentes; nulla autem talis imperfectio involvitur in modo operandi miracula moraliter tantùm; ergò &c.

Reſpondet Baldius *quæſt. 6. difficul.* 2. humanitatem Chriſti concurrere phyſicè ad efficiendā miracula, non tamen per modum inſtrumenti, ſed cauſæ efficientis minus principalis. Sed hæc reſponſio, præterquamquod eſt contrà communem, confutabitur infra *num.* 203.

192 Quintò probatur expreſſis Patrum teſtimoniis, qui de miraculis à Chriſto factis loquentes, & de modo quo fierent, expreſsè dicunt ea fuiſſe facta virtute Divina; & humanitatem ad id ſolùm phyſicè concurriſſe, quod ei erat proprium, nempè ad externum motum, ad corporis contactum, verborum prolationem, & ſimilia; undè duas in eis miraculis ſecernunt actiones phyſicas, unam v.g. tangendi humano more defunctum, & hanc inquiunt fuiſſe ſolius humanitatis; alteram verò ſanandi ægrotum, vel ſuſcitandi mortuum, & hanc inquiunt fuiſſe ſolius divinitatis; Quod ſi Patres credidiſſent humanitatem Chriſti in eos effectus phyſicè influxiſſe profectè actionem hanc ſoli Divinitati non tribuiſſent; ſic Damaſcenus lib. 3. de Fide c. 15: *Humanæ actionis finis in libera manus dilatione, & tactu poſitus erat, Divinæ autem in puella excitatione.* Athanaſius orat. 4. contra Arrianos *Humano quidem modo manum extendit, divinitas autem morbum compeſcuit; humanū fuit è carne emiſiſſe ſputum, Divinitas autem oculos aperuit.* Auguſtinus *tract.* 8. in Ioan. poſt medium loquens de miraculo facto in Cana Galileæ *Miraculum, quod facturus erat, ſecundum divinitatem facturus erat, non ſecundum infirmitatem; ſecundum id, quod Deus erat, non ſecundum infirmitatem; ſecundum id, quod infirmus natus erat*; & ſic plures alii Patres ab Amico relati *loc. cit.* ergo ſola natura Divina in Chriſto miracula phyſicè faciebat, non Humana. Ex quibus SS. Patrum dictis tria deducuntur. Primum eſt, quod Chriſtus, ut Deus per potentiam Divinam phyſicè produxerit gratiam, & fecerit miracula, tanquam agens principale; Secundum, quod Chriſtus, ut Homo per potentiam humanam phyſicè exercuerit quaſdam actiones humanas ad miracula concurrentes. Tertium tandem, quod Chriſtus, ut Homo Sanctus, & Deo gratus ratione meritorū moraliter effecerit, ut Deus phyſicè procreet gratiam, & faceret miracula, quando ipſe vellet; Ex quo ſequitur, omiſſis actionibus ad miracula cōcurrentibus, quæ propriè non ſunt ipſa miracula, Chriſtum duobus modis miracula feciſſe & gratiam produxiſſe; primò phyſicè ſecundum divinitatem, deindè moraliter, ſeu meritoriè ſecundum humanitatem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Fundamenta adverſa ſententi a convulſa.

193 IN oppoſitum obiiciunt Primò Patres, & Concilia; nam Gregorius *lib.* 2. Dialogorum *cap.* 130. ait *Chriſtum miracula feciſſe poteſtate, Martires verò, & Sanctos impetratione* hac autem denotat Chriſtum phyſicè ea miracula feciſſe, alios verò naturaliter. Confirmatur, quia humanitas Chriſti moraliter loquendo non fuit cauſa principalis miraculorum, ſed impetratione ſua ea obtinuit, ſicut cæteri Sancti; ergo niſi recurratur ad efficientiam phyſicam, non poteſt aſſignari diverſitas, quam aſſignat Gregorius inter Chriſtum, & cæteros Sanctos miracula patrantes. Demum Concilium Epheſinum canon. 11. inquit, *carnem Chriſti fuiſſe vivificatricem*, hoc eſt vitæ factricem; & in Sexta Synodo in Epiſt. Sophronii dictum eſt, Verbum per carnem effeciſſe opera, quæ erant divinitatis indicia, qui loquendi modus profectò phyſicam indicat efficientiam, & non moralem tantùm.

194 Reſpondeo negando conſequentiam, nam Divi Gregorii dictū melius ſalvatur per efficientiam moralem, quàm per phyſicam, ut notat Arriaga, nam impetratio, & poteſtas intrà genus moris continentur; undè Imperator eſtò pyhſicè non cauſet dignitates, & honores dicitur tamen habere poteſtatem eos conferendi; qui verò petit ab Imperatore, ut conferat, ille nōn poteſtate, ſed impetratione concurrit. At per efficientiam phyſicam non ità benè ſalvatur verbum illud *poteſtate*, nam eſtò concedatur Chriſtum phyſicè miracula produxiſſe, ſemper tamen ut inſtrumentum divinitatis à Deo elevatum produxit, ità ut in eius poteſtate non erat determinare Deum, ſed potius è contra determinari à Deo debebat; nec enim per hoc, quod ſerra v.g. phycè cauſet, vel cauſare poſſit per modum inſtrumenti diviſionem ligni, poteſt ſimpliciter dici, eſſe in poteſtate eius ligna dividere, ſed ſolùm principalis agentis.

195 Ad Confirmationem, quæ hanc ſolutionem infringere videtur, nam ſi humanitas Chriſti impetratione ſua obtinebat, ut divinitas faceret miracula, iam nō poteſtate, ſed impetratione tantùm concurrebat, reſpondeo SS. Patres, quando de ea poteſtate principali Chriſti loquuntur præſertim intelligendos eſſe ratione Deitatis, quia nimirum illa perſona erat Deus, & hac ratione dicebatur poteſtate facere miracula, non verò impetratione, ut cœteri Sancti; Quod ſi dictum Gregorii etiam de Chriſto ratione humanitatis placet intelligere, adhuc rectus ſenſus aſſignari poteſt, in quo ipſe dicatur miracula poteſtate feciſſe, & non impetratione, ut alii Sancti, nam duplex cauſa moralis aſſignari poteſt, alia quę poteſt impetrare, tamen eſt in manu Dei gratiam petitam non concedere, & talis cauſa propriè dicitur impetratoria; Alia verò eſt, quæ habet in ſui poteſtate impetrare, itaut Deus ad nutum illius teneatur gratiam petitam exhibere, nec unquam ejus petitio ſit vacua, & hoc propter voluntarium cùm tali impetrante decretum de exhibenda gratia ad eius nutum; & hæc propriè dicitur cauſa moralis poteſtate, quatenus in ſua poteſtate habet impetrare quicquid vult, & in hoc ſenſu ſolus Chriſtus dicitur poteſtate miracula feciſſe, non impetratione, ut cæteri Sancti, quia Deus ſuam omnipotentiam voluntati Chriſti quodammodò ſubiecit, itaut quandocunque Chriſtus vellet, poſſet miracula efficere, quod nulli Sanctorum conceſſum eſt, qui non univerſaliter etiam per orationem ſemper faciebant miracla, ſed ſæpè non exaudiebantur; at Chriſtus ſemper, ut colligitur ex eius verbis Io. 12. *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me, ego autem ſciebam, quia ſemper me audis*, qua ratione dictum eſt ab initio quæſtionis hanc poteſtatem datam fuiſſe Chriſto ſoli per modum permanentis ad differentiam aliorum Sanctorum, quibus communicatur tantùm per modum tranſeuntis.

196 Hinc tale diſcrimen ponunt alii inter Chriſtum, & alios Sanctos, quoad poteſtatem faciendi miracula, ut illi hanc vim haberent ſolùm impetrando, Chriſtus verò non tantùm impetrando, ſed etiam imperando, & ideo bene ait Gregorius Chriſtum miracula feciſſe poteſtate, & non ſola impetratione, ut cæteri Sancti, quia nempe Deus ipſe conſtituerat humanitatem Chriſti cum tali promiſſione, & pacto, ut ad nutum voluntatis eius, ſivè poſita aliqua eius actione, efficeret miraculum, & opus ſupernaturale; qua ratione humanitas Chriſti erat miraculorum cauſa, non ſolùm per modum meriti, & impetrationis, ſed quia ſic erat conſtituta à Deo, ut ſtante nutu voluntatis eius, vel aliqua actione ad talem finem ordinata, fieret miraculum, ut diſcurrit Averſa *loc. cit.* ubi inquit, quod hoc videntur intelligere aliqui Theologi, dum dicunt humanitatem Chriſti habuiſſe vim deferendi, ſeu intimandi Divinum imperium omni creaturæ, circa quam faciendum erat miraculum, quia nempè Chriſti humanitas talem ſuam actionem applicabat, ad quam ex imperio Divinæ voluntatis ſequuturum erat miraculum. Ad Ultimum, negatur conſequentia, quando enim in Concilio Epheſino definitur, carnem Chriſti eſſe vivificatricem, non eſt ſenſus, quod haberet vim inſtrumentalem phyſicam vivificandi, ſed tantum eſſe carnem vivificantis, & non puri hominis, contrà Neſtorium negantem carnem Chriſti eſſe Divinitati hypoſtaticè unitam; & ità expreſsè ſonant verba illius *can.* 11. à Beccano relata, Et quod dicitur in Sexto Synodo optimè intelligi poteſt per eam cauſalitatem, quam explicuimus, ſine recurſu ad phyſicam cauſalitatem.

197 Secundò obiiciunt plura Sacræ Scripturæ teſtimonia, ex quibus deduci videtur humanitatem Chriſti fuiſſe cauſam phyſicam ſaltem inſtrumentalem miraculorum; Lucæ 6. *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exhibat, & ſanabat omnes*; & cap. 8. *Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem ex me exiiſſe*, & Matth. 9. *Videntes autem turba glorificaverunt Deum, qui poteſtatem talem dedit hominibus*, hæc autem omnia denotant poteſtatem phyſicam, quæ ſola ſimpliciter eſt poteſtas; virtutem

item

item ex ire nil aliud ſignificat, quam actionem phyſicam ab ipſo prodiiſſe. Deindè arguunt ex iis locis, in quibus dicitur Chriſtus feciſſe miracula iubendo, & imperando, ut Matth. 8. *Volo, mundare, & confeſtim mundata eſt lepra ejus*, & paulò infrà imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna; & Joann. 11. *Lazare veni foras*, qui modus operandi indicat phyſicam cauſalitatem, operari enim moraliter eſt impetrare orando, & intercedendo; ergo Chriſtus pluſquam per modum cauſæ moralis operabatur miraculum, nempè per modum cauſæ phyſicæ. Rurſus ex iis locis arguunt, ubi Chriſtus vocatur brachium Domini, quia ſcilicet Deus per ipſum miracula faciebat, tanquam per Inſtrumentum phyſicum, ut Iſaiæ 51. 52. 53. & alibi, qua ratione Athanaſius, & Damaſcenus, & alii Patres humanitatem Chriſti appellant organum, & Inſtrumentum Divinitatis; non potuit autem eſſe organum, & inſtrumentum morale; ergo phyſicum; nam inſtrumentum ſupponit cauſam principalem in eodem genere, in quo eſt inſtrumentum; humanitas autem Chriſti nullam ſupponit cauſam principalem moralem, cùm ipſa in genere cauſę moralis, & meritoria, nam hæc ſupponit ſuperiorem, à quo debeat merendo impetrare. Denique arguunt ex aliis locis, in quibus videtur tribui Chriſto cauſalitas phyſica gratiæ, & noſtræ juſtificationis, quale eſt illud *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, ubi ſermo eſt de Chriſto ſecundum humanitatem, & Matth. 9. *Filius hominis poteſtatem habet remittendi peccata*; ubi per poteſtatem non intelligitur facultas ad merendum, ſed virtus ad efficiendum, & Joann. 20. *Data eſt mihi omnis poteſtas*, Chriſtus autem debuit nos iuſtificare per præſtantiorem modum ſalvandi, & cauſandi gratiam; at longè præſtantior eſt modus cauſandi, non ſolùm meritoriè, ſed quo phyſicè attingat productionem gratię, neque hoc ipſi repugnat; ergo hęc perfectio non eſt Chriſto denegauda.

198 Reſpondeo in illis locutionibus non denotari amplius, quàm ſupernaturalem poteſtatem moralem faciendi miracula, non verò neceſſariò phyſicam, ſicut videmus in humanis ex communi modo loquendi in ſimili materia, dicimus enim Regem, & Principem habere poteſtatem hunc, & illum perdendi, occidendi, ditandi, licet nihil horum phyſicè per ſe immediatè efficiat, neque ad has locutiones ſimpliciter verificandas recurritur ad influxum phyſicum, & de aliis quoque Sanctis dicitur poteſtatem habuiſſe faciendi miracula, & ab eis exiiſſe virtutem ſanativam, cùm tamen contendat nemo eos huiuſmodi miracula phyſicè feciſſe. Et quando dicitur virtus exire, planè in bona phyloſophia non intelligitur, quod aliquid virtutis exeat ab efficiente, quia virtus, & actio in agente manent, ſed tantùm quod producatur effectus in rerum natura, quod ęquè benè intelligi poteſt de cauſa morali, ac de phyſica; exire ergò virtutem nil aliud eſt, quam Chriſtum operatum fuiſſe illud miraculum, quarè cum ex communi acceptione cauſa moralis quoque propriè operari dicatur, etiam propriè dicetur exiſſe virtus, eo quod moraliter Chriſtus eam contulerit ſanitatem; Et teſtimonium illud Matth. 9. ſicut & alia ſimilia intelliguntur de poteſtate morali, quam vi unionis hypoſtaticę Chriſtus, ut Homo habuit in omnes creaturas.

199 Ad loca 2. claſſis, concedo Chriſtum habuiſſe poteſtatem faciendi miracula, nedùm impetrativè, ſed etiam imperativè, & auctoritativè, & quia duobus modis diximus ipſum feciſſe miracula, ſcilicet, ut Deum, & ut Hominem, ut Deus habuit poteſtatem phyſicam; ut Homo verò tantùm moralem, quam etiam exercere poterat per modum imperii modo iam explicato *num.* 195. quatenus Deus conſtituerat, & promiſerat ad imperium, & actum voluntatis Chriſti facere miraculum; undè humanitas eius non eo ſolùm modo erat miraculorum cauſa, qui conſiſtit in oratione, & impetratione, ſed hoc etiam alio modo, qui erat proprius Chriſti ex vi unionis hypoſtaticę. Ad loca tertię claſſis, in quibus Chriſtus vocatur brachium Domini, nihil faciunt pro virtute phyſica inſtrumentali, ſed potius pro virtute meritoria, & ſatisfactoria, qua Chriſtus redemit genus humanum; Deus enim uſus eſt humanitate Chriſti, tanquam forti brachio, ad debellandum hoſtem, & genus humanum liberandum è Dœmonis poteſtate, & peccati captivitate; & negatur, illam non poſſe dici inſtrumentum morale reſpectu cauſę principalis phyſicè cauſantis; cùm enim cauſa moralis cauſat per modum impetrantis effectum à cauſa principali phyſica, rectè dici poteſt morale inſtrumentum, quo cauſa principalis phyſica utitur ad effectus phyſicè cauſandos; undè etiam in communi modo loquendi cauſa moralis dicitur inſtumentalis reſpectu phyſicę, quatenus cauſa phyſica dicitur per tale medium impetratorium, ut per inſtrumentum operari. Adhuc tamen verum eſt, quod humanitas Chriſti in genere cauſę moralis cenſenda eſt principalis, quia ſubordinata non erat alteri morali, ut benè argumentum probat, Ex quo componi poteſt lis, quam diximus vertere inter Auctores ſecundę ſententię, & eſſe parvi momenti *n.* 180.

200 Ad loca quartæ Claſſis, dicimus Chriſtum ſecundum humanitatem non eſſe ſolùm cauſam ſine qua non reſpectu noſtrę juſtificationis, & gratiæ, ut quidam ex Nominalibus dixerunt, ita ut ad illius præſentiam Deus cauſet gratiam; imò aſſerimus ſecundum humanitatem verè, & propriè influere gratiam in membra, ſicut eſt verè caput, non quidem phyſicè, ſed meritoriè; Nec illa loca oppoſitum ſuadent, tantùm enim inſinuant Chriſtum ſecundum humanitatem eſſe cauſam gratiæ, quod quidem optimè ſalvatur per cauſalitatem moralem, & meritoriam; imò magis accomodatè, quàm per phyſicam, nam ſicut Chriſtus, ut Homo, non eſt phyſicum, ſed miſticum caput Eccleſiæ, ità Chriſti, ut Eccleſiæ capitis, non eſt phyſicè, ſed tantùm moraliter in Eccleſiæ membra influere. Et adhuc optime dici poterit effeciſſe miracula, & effectivè concurriſſe ad patranda miracula, ea namque cauſalitas, quam adhibebat, ad genus cauſæ efficientis ſpectat, & reducitur, ut dictum eſt in Phyſicis, & hoc nomen effectionis, & cauſæ effectivæ non ſolùm complectitur cauſam, & cauſalitatem phyſicam, ſed etiam moralem; verè enim Romulus dicitur Romam ædificaſſe, & conſtruxiſſe, etiamſi lapides non portaverit, ac cemento adinvicem non compaginaverit. Ex quo etiam deducitur falſum eſſe, quod addebatur, præſtantiorem eſſe modum cauſalitatis phyſicæ, quàm moralis; præſtantior enim eſt hic modus cauſandi, quam ille, præſertim ubi cauſa moralis poteſt habere locum per modum imperii, ut contingit in propoſito, & conſtat ex dictis *n.* 191.

201 Tertiò arguunt ratione, quia non repugnat carnem Chriſti per modum inſtrumenti phyſici concurrere ad actiones ſupernaturales, ut patet in ſimilibus exemplis; nam potentia intellectiva creata per potentiam obedientialem elevatur ad viſionem beatificam, quæ eſt ſupernaturalis; ignis infernalis ad torquendos ſpiritus per modum phyſici inſtrumenti; ſacramenta quoque hoc modo concurrunt ad productionem gratiæ. Confirmatur, quia ſi non alio modo, quàm explicato, concurrit Chriſti humanitas ad productionem gratiæ, & efficienda miracula, huic efficientiæ ſimilis erit efficientia Magorum, & aliorum, qui pactum habent cum Dœmonibus, & poteſtas Chriſti comparabitur nudo ſigno, ſeù Chirographo, quo exhibito exhibetur prætium.

Reſpondeo, hic propriè non diſputari, an repugnet humanitatem Chriſti per modum inſtrumenti phyſici concurrere ad effectus ſupernaturales, ſed an reipſa concurrat, vel concurrerit in hac vita; & dicimus loca hactenus adducta non convincere concurſum pluſquam moralem; & quod licet concederetur ad aliquos phyſicè concurriſſe, vel ſaltem concurrere potuiſſe, nempè ad illos, cum quibus aliquam habebat proportionem juxtà dicta *n.* 185. non tamen putandum eſt ità concurriſſe ad omnes, ob rationem ibi allatam; Nec obſtant exempla adducta, intellectus enim quandam habet proportionem cum viſione beata, & convenientiam cum Deo viſibili, quia hic continetur intra ſpheram obiecti ejus ex natura potentiæ, undè concurrit ad eam per virtutem naturalem, ut elevatam, atque ideò ut cauſa principalis, & non per modum puri inſtrumenti, ut ſuo loco dictum eſt *lib. 1. ſentent.* & ideò non eſt par ratio, quia in intellectu reſpectu beatæ viſionis reperitur aliqua naturalis potentia, licet incompleta, ac inchoata; Falſum eſt etiam ignem infernales Dœmones, & animas torquere actione phyſica, ac per modum phyſici inſtrumenti, ut ſuo loco dictum eſt *lib. 2. ſentent.* Ac denique æquè incertum eſt Sacramenta eſſe phyſica inſtrumenta in productione gratiæ, & longè probabilius eſt non phyſica, ſed moralia, ut ſuo loco dicemus *lib. 4. ſent.* Ad Confirmationem utrumque negatur aſſumptum, quia pacta Dœmonis cum Magis non nituntur ſanctitate, & gratia, ſicut pactum à Deo initum cum ſanctitate Chriſti; & illa falli poſſunt, nec ſunt certa, cùm pluribus modis poſſint à Deo impediri; Nec poteſtas hæc Chriſti nudo ſigno comparari debet, vel Chirographo, ſed potius crumenæ, quæ pecuniam continet, ut eruditè declarat Cardinalis de Lugo *diſp. 4. de Sacramentis ſect. 5. à num. 68.* quia re vera humanitas Chriſti continet miracula moraliter, & opera ſupernaturalia modo jam explicato.

202 Quartò arguit Baldius *loc. cit.* virtus & poteſtas, qua Chriſtus miracula faciebat, aſſociabatur cum tactu, ut patet ex locis jam citatis: *omnis turba quærebat eum tangere*. Lucæ. 6. *tetigit fimbriam veſtimenti eius cap.* 8. ſed tactus erat phyſicus, non moralis, in faciendis miraculis, quod denotat illam virtutem eſſe phyſicam. Confirmatur, quia Chriſtus, ut Homo, ea efficientia concurrebat ad miracula, quæ facit ad majorem commendationem excellentiæ humanitatis eius; at ad id magis confert modus operandi phyſicè, quàm moraliter, quia ſicut humanitas per unionem hypoſtaticam communicat in eſſe Divino, quatenus ſubſiſtit Divina ſubſiſtentia Verbi; ità etiam concurrendo phyſicè ad facienda miracula participat de Divina eiuſdem Verbi potentia, quę verè, realiter, & phyſicè eſt productiva miraculorum.

Reſpon-

Reſpondeo negando conſequentiam; ut enim conſtat ex dictis *n.* 192. duas in miraculis Chriſti Patres diſtinguunt actiones phyſicas, unam tangendi humano more defunctum, vel ægrotum, & hanc inquiunt fuiſſe ſolius humanitatis, aliam verò ſanandi, vel ſuſcitandi, & hanc inquiunt fuiſſe divinitatis. Et quandò mulier, quę ſanguinis fluxum patiebatur, tetigit veſtimenta Chriſti, & ſanata eſt, ille tactus non erat actio deſignata à Deo, ut conditio, ad quam miraculum ſequeretur, idemque cenſendum eſt de ſimilibus actibus, non ſolùm ſub ratione meriti, ſed ſub ratione talis conditionis. Nec locus adductus poteſt in eo rigore accipi, nam licet humanitas fuiſſet aſſumpta, ut phyſicum inſtrumentum ad facienda miracula, non tamen id fecerunt veſtes Chriſti, quæ ſolùm tunc fuerunt immediatè tactæ, & ex quarum contactu dixit virtutem à ſe exiiſſe. Ad Confirm. negatur minor cum ejus probatione; jam enim ſupra probatum eſt *n.* 191. aſſumi, ut phyſicum inſtrumentum obedientiale ad actiones miraculoſas, involuere imperfectionem ex parte modi producendi; probatio autem valeret, ſi humanitas Chriſti elevaretur ad miracula facienda per modum cauſæ principalis.

203 Sed replicat Baldius, humanitatem Chriſti ad efficienda miracula concurriſſe quidem phyſicè, ſed non inſtrumentaliter, aut ad modum inſtrumenti, ſed efficienter, ſeù ad inſtar cauſæ verè efficientis, licet non principalis, ſed ſecundariæ, ſcilicet, per virtutem acceptam à Deo per unionem hypoſtaticam; ut verò explicet, quæ ſit iſta virtus communicata animæ Chriſti, quæ veluti forma efficere valeret miracula, non ut purum inſtrumentum, ſed ut cauſa verè efficiens, minus tamen principalis; inquit hanc virtutem, & gratiam miraculorum in Chriſto non eſſe puram, & nudam electionem, qua Deus elegit Chriſtum, atque Sanctos, ut per eos faciat miracula. Neque eſſe phyſicam qualitatem aliquam, aut virtutem divinitus infuſam inhærentem in anima Chriſti; Neque eſſe ipſam virtutem agentis Dei intentionaliter receptam in anima Chriſti; Sed eſſe quandam qualitatem, & habilitatem moralem, quæ conſiſtit in poteſtate ei à Domino collata ad efficienda miracula, ideſt, non eſt aliquid reale phyſicum ſuperadditum Chriſto, vel ejus gratiæ ſive unionis, ſive habituali, ſed eſt duntaxat aliquid morale, ſcilicet, jus quoddam, & moralis quædam poteſtas accepta à Deo proveniens ex divina ordinatione, & deputatione; & licet ſit jus quoddam morale, tamen illius executio, & exercitium eſt quid phyſicum. Verùm ex hac doctrina directè ſequitur, potentiam Chriſti, ut Hominis, ad facienda miracula fuiſſe moralem, non verò phyſicam; nam talis poteſtas conſiſtit in facultate ſibi à Deo communicata, quam etiam hic Auctor fatetur eſſe moralem. Deindè cum actus ſecundus correſpondere debeat actui primo, & ſit ei proportionatus, planè ſi virtus faciendi miracula eſt moralis, etiam ipſa miraculorum factio, & executio moralis erit, & non phyſica. Denique quando contendatur efficientiam miraculorum phyſicam facere ad dignitatem humanitatis Chriſti, jam diximus *num.* 185. neque hanc eſſe totaliter ipſi denegandam, & in ordine ad quoſcunque effectus ſupernaturales, ſed tantùm in ordine ad illos, ad quos nullam prorſus habet in ſe virtutem ſaltem inchoatam, alioquin daretur actio ſine virtute agendi; Mitto, quod ponere Chriſti humanitatem cauſam principalem miraculorum eſt contra communem ſenſum etiam Auctorum oppoſitæ ſententiæ, qui eam ponunt tantùm inſtrumentalem.

204 Quintò arguit Vulpes probans unionem hypoſtaticam eſſe cauſam phyſicam ſaltem inſtrumentalem miraculorum Chriſti, quia effectus univocus eſt ſignum demonſtrativum naturæ ſuæ propriæ cauſæ; at opera miraculoſa Chriſti univocè demonſtrant Chriſtum eſſe Hominem hypoſtaticè Verbo unitum ex Joann. 10. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, teſtimonium perhibent de me*; ergo unio eſt cauſa phyſica ſaltem inſtrumentalis miraculorum Chriſti.

Reſpondeo cum P. Belluto negando minorem; inepte ſiquidem dicuntur miracula effectus univoci hypoſtaticę unionis, nam effectus univocus eſt ejuſdem ſpeciei cum ſua cauſa, nullum autem miraculum, nec ullum ens creatum eſt eiuſdem naturæ cum hypoſtatica unione; Nec etiam ullum Chriſti miraculum, imò nec omnia ſimul ſumpta erant ſufficientia ſigna ad demonſtrandam Chriſti divinitatem, quia adiuvante Deo poteſt Homo illa edere miracula, ac etiam majora, ut habetur Ioan. 14. *Qui credit in me, opera quę ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*; attamen facta in confirmationem illius veritatis, qua ſe Filium Dei proprium aſſerebat, evidens inditum fuerunt ſuæ Divinitatis, quia nequit Deus in teſtimonium falſitatis facere miracula; quod manifeſte deducitur ex aliis ejus verbis: *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, & opera non feciſſem, peccatum non haberent*, quibus verbis oſtendit, quod non opera pręciſè, ſed etiam atteſtatio, & prædicatio propriæ divinitatis ſimul Judæos reddiderunt inexcuſabiles. Deindè quando etiam concederetur opera præciſè ſumpta ſufficientia fuiſſe ad demonſtrandum Chriſtum fuiſſe Hominem Verbo unitum; adhuc non bene hinc deduceretur unionem phyſicam fuiſſe cauſam talium miraculorum, ſed tantùm Chriſtum non fuiſſe purum Hominem, ſed Hominem Deum, itaquod ut Deus phyſicè cauſaret miracula, ut Homo autem moraliter tantùm, talem enim poteſtatem phyſicam Divinitatis, ac moralem Humanitatis fatebantur turbæ videntes miracula Chriſti, & infirmi ab eo ſanati, ut fecit cœcus ille Ioann. 9. qui in ſignum Divinitatis Chriſti, quòd ab ipſo fuerit illuminatus, procidens adoravit eum, ut Filium Dei. De hac quæſtione videndus eſt P. Brancatus noſter *lib. 4. ſentent. diſp. 7. art. 2.* ubi eam pro dignitate tractat, & erudite demonſtrat opinionem Vulpes in hac materia eſſe prorſus chimericam, & à veritate Scotique principiis penitus alienam, & plura eiuſdem Auctoris noviter dicta impugnat, quæ meritò nænias vocat, quia omni prorſus carent fundamento, ac veriſimilitudine.

QUÆSTIO NONA.

Qua adoratio debeatur Chriſto, ſecundum quod Homo.

205 ADoratio ex Damaſceno oratione prima de Imaginibus *eſt ſubmiſſionis, & honoris nota*, hoc eſt, ſignificat actum, quo quis alteri ſe ſubmittit in recognitionem eius excellentiæ, undè obiectum formale adorationis ſemper eſt excellentia in aliqua perſona, quæ adoratur, materiale verò eſt ipſa perſona, in qua illa excellentia reperitur; ex quo deducitur adorationem diſtingui ab honore, ſicut ſpeciem à genere, nam honor eſt ſuperior, & univerſalior, qua ratione inquit Auguſt. contrà ſerm. Arrian. capit. 23. *Honorat omnis qui adorat, non autem adorat omnis, qui honorat*, honor enim eſt teſtificatio virtutis alterius, at adoratio ultra hoc addit animi ſubmiſſionem in recognitionem excellentię alterius, tanquam ſibi ſuperioris. Hinc iuxtà varia excellentiarum genera, etiam varia adorationum genera diſtinguuntur, & quia alia eſt excellentia increata, alia creata, ideò alia eſt adoratio debita Deo, alia creaturis; Prima dicitur Latria, quę ſolùm Deum reſpicit, ſicut ſolus Deus ſummam, & ſupremam habet excellentiam; Altera verò conſtituit genus adorationis innominatum, quod poteſt appellari Dulia, & ſubdividitur; nam vel iſta excellentia peculiari, & ſingulari modo eſt in aliqua rationali creatura, & hęc adoratio dicitur Hyperdulia; ſi verò non reperitur peculiari modo, dicitur Dulia, & nomen generis ſibi retinet; hujus adorationis cultus debetur univerſaliter omnibus Sanctis, ille verò ſpecialiter debetur Beatę Virgini, & Chriſti humanitati ratione ſanctitatis dumtaxat creatę, ut infrà dicemus.

206 His tanquam certis principiis pręiactis duplex in hac materia viget controverſia; Prima eſt, an Chriſtus ſecundum quod Homo, ſeù ſecundum humanitatem adorandus ſicut cultus Latrię, vel ſolius Hyperdulię, neque difficultas eſt, an talis adoratio debeatur Chriſto, ut Homini, per communicationem Idiomatum, nam in hoc ſenſu concedunt omnes cultum Latrię Chriſto, ut Homini, convenire, non minus quàm eidem per eandem Idiomatum communicationem convenit eſſe Deum, ſed difficultas eſt, an talis cultus ei conveniat intrinſecè, & per ſe. In qua controverſia negarunt aliqui Chriſtum, ut Hominem, adorandum eſſe adoratione Latrię, ſed tantùm Hyperdulię, ita Magiſter 3. *diſt. 9. c. 1.* Henricus, Rubion, Bacconius, & alii antiquiores; Oppoſita ſententia communis in omni Schola Thomiſtarum, Scotiſtarum, ac Neutralium, docet Chriſtum, ut Hominem, adorandum eſſe eadem adoratione Latrię, qua adoratur Verbum ipſum, itaut humanitas ſit terminus dumtaxat, & obiectum talis adorationis, non autem motivum, & cauſa, ſive ratio adorandi, ità Scotus ex profeſsò *4. diſp. 9. qu. unic. art. 3.* & alii paſſim, ſub aliis verbis dicentes, Chriſtum inquantum Hominem, ſpecificativè eſſe adorandum illa ſuprema adoratione, qua adoratur Verbum, quę eſt Latrię, non tamen reduplicativè, quaſi humanitas ſit cauſa, & ratio formalis adorationis.

207 Altera verò Controverſia, & quidem maior, eſt: quę adoratio debeatur Chriſto ſecundum, quod Homo, ſumendo ly *ſecundum quod* reduplicativè, ut notat cauſam, & rationem formalem adorationis, itaut intuitu naturę humanæ fiat adoratio; & ſenſus eſt, an humanitas Chriſti pręciſa unione ad Verbum, & cum aliis donis ſupernaturalibus concepta, ſit adoranda Latria, vel ſaltem Hyperdulia. Prima ſententia docet, quod quamvis Chriſti humanitas poſſit, per ſe, non comprehendendo Verbum, adorari adoratione Hyperdulię, talis tamen adoratio cum hac metaphyſica pręciſione non eſt decens, nec licita; ità Recentiores non pauci, Valentia, Raguſa, Lugo, Paſqualigus, Orlandus, Caſpenſis, & alii ſecuti Vaſquez *diſp. 96.* ubi mordicus contendit nullam aliam adorationem poſſe deferri humanitati Chriſti ob ullam pro-

priam

priam excellentiam præter perfectam Latriam jam dictam illi communem cum Verbo; & aliam inferiorem adorationem negat non ſolùm eſſe decentem, ſed etiam poſſibilem, ſive ob excellentiam unionis hypoſtaticæ, ſive gratiæ, & gloriæ. Alia verò ſententia docet talem adorationem, & eſſe poſſibilem, & decentem; ità alii Recentiores paſſim, Tannerus, Meracius, Moraudus, Amicus, Arriaga, Averſa, Granadus, ſecuti Suarez *3. part. diſp. 35. ſect. 2. & 3.* ubi eam pugnaciſſimè defendit, quæ fuit ſententia D. Thomæ *3. part. quæſt. 25. art. 1. & 2.* ubi Caietan. Medin. & alii ejus expoſitores, D. Bonavent. *3. diſt. 9. art. 1. quæſt. 1.* & Scoti ibidem *quæſt. unic. art. 3.* ubi ejus expoſitores veteres, & Recentiores Faber, Aretinus, Gallus, Bellutus *diſp. 15. quæſt. 2.* & alii.

ARTICULUS PRIMUS.

Reſolutio Quæſtionis quoad primam partem.

207 DIcendum Primò Chriſtum, ut Hominem, adorandum eſſe eadem adoratione Latriæ, qua adoratur Verbum ipſum, non quidem ut motivum, & cauſam adorationis, ſed ut terminum duntaxat, & obiectum eius. Hæc concluſio eſt deciſivà quęſtionis, quoad primam partem, & eſt communis, ut dixi, Thomiſtarum, & Scotiſtarum, & Recentiorum, & expreſsè habetur in Conciliis Alexandr. & Epheſin. 1. in *Epiſt.* 10. Cyrilli, ubi definitur una adoratione, ſcilicet, Latriæ adorari Chriſtum ſimul cum Divinitate, & Humanitate: *Unus, idemque Chriſtus Ieſus, Unigenitusque Dei Filius animo concipitur; qui una adoratione cum propria carne adoratur*. Et 5. Synod. collat. 8. can. 9. *Si quis non una adoratione Verbum Incarnatum cum propria ipſius carne adorat, anathema ſit*. Idem ex Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. colligitur, ubi declarat Euchariſtiæ Sacramentum vera Latria adorari debere ob præſentiam Divinitatis, ſupponens Chriſti humanitatem, prout in ſe exiſtentem, tali adoratione coli debere ratione Divinitatis, cui eſt conjuncta.

209 Deindè probari ſolet ex Patribus; ſic enim loquuntur Athanaſ. Epiſtol. ad Adelphium Fratrem, Chriſoſtom. homil. 3. in Epiſtol. ad Hebræos, Auguſt. ſermon. 58. de Verbis Domini in fine, Leo Papa ſerm. 1. de Aſcenſione, Ambroſ. *lib.* 2. de Spiritu Sancto *cap. 12. & lib. 3. cap.* 19 & Damaſcen. *lib.* 3. de Fide *c.* 8. cujus teſtimonium affert Scotus: *Chriſtus Deus perfectus, & Homo perfectus, quem adoramus cum Patre, & Spiritu Sancto una adoratione cum incontaminabilis carne ejus*, ubi Doctor advertit, *cum*, accipi aſſociativè, non autem copulativè, ideſt, adoramus Verbum cum carne, ſcilicet, Verbum habens carnem unitam, non autem itaut, ſit ſenſus, adoramus Verbum, & adoramus carnem, quaſi ſit propoſitio copulativa, nam ſic daretur intelligi carnem, vel humanitatem eſſe quoque ex ſe obiectum formale, & motivum adorationis, ſicut Verbum, quod eſt falſum; quamvis enim à termino adorationis excludi non debeat, ipſa tamen non eſt ratio adorandi; Hoc idem probat tribus exemplis, quibus paſſim utuntur Patres ad hanc veritatem perſuadendam. Primum eſt de ligno ignito, ex eodem Damaſceno; ſicut enim quando timemus, & refugimus lignum ignitum, utrumque refugimus, ſcilicet, tam lignum, quàm ignem, & utrumque fugam, ac timorem terminat, quamvis ſolus ignis ſit ratio formalis fugæ, & timoris; ità cùm adoramus Chriſtum Deum hominem, totum unitum eſt terminus adorationis, licet humanitas non ſit ratio formalis illius. Aliud exemplum eſt ex Epiphanio de Rege, & Purpura, dum enim adoramus Regem inductum, & ſedentem, ſimul eodem actu coadoramus purpuram, & thronum regium, quamvis purpura non ſit ratio adorandi; ità dùm adoramus Chriſtum cultu Latriæ, quamvis ratio, & motivum talis adorationis ſit ſumma, & infinita excellentia perſonæ, & naturæ Divinæ; tamen quia in ea perſona humanitas eſt divinitati conjuncta, ideò idem adorationis actus ſimul, & conjunctim ad ipſam quoque carnem, & humanitatem Chriſti terminatur dignificatam, & ſublimatam per conjunctionem ad Verbum.

210 Tertium exemplum, & adhuc magis proportionatum eſt de toto, & partibus; de anima, & corpore; ſicut enim cum adoramus Sanctum, non ſolùm adoratur anima, in qua eſt excellentia gratiæ, & virtutis, ſed etiam corpus, & caro, in qua non eſt talis excellentia, adoratur ſimul eodem cultu, quia ſubſtantialiter anima, & corpus ſunt unum, & idem totum, & ſuppoſitum, licet ratio formalis talis adorationis, ſit ſola animæ excellentia; ita non tantùm Verbum, & divinitas Chriſti, in qua eſt formaliter ratio adorationis, ſcilicet, excellentia increata, ſed etiam ejus humanitas, quę ſubſtantialiter ſunt unita ſuppoſito, adorari debent eadem adoratione; ſimiliter ſi hominem revereor propter ſapientiam, & virtutes, totum revereor, ſcilicet corpus, & animam, non verò animam ſolum, excludendo corpus à termino reverentiæ; ſic pariter cùm totum Hominem adoro, non honoro præciſè caput excludendo alias partes ab illa adoratione; idem ergo pariter dicendum de Chriſto Deo, & Homine; & ratio eſt, quia minimè opus eſt, ut omne id, quod eſt terminus adorationis, ſit etiam ratio formalis eiuſdem: ſed ſufficit, ut ſit cum ratione formali aliquo pacto unitum, ut patet in exemplis adductis, quorum ultimum de toto, & partibus, corpore, & anima dixi eſſe magis ad rem, quia purpura tantùm accidentaliter unitur perſonæ Regis, & ideò dici poteſt ſolùm per accidens adorari; at verò humanitas per ſe unitur Verbo, Chriſtus enim verè eſt unus per ſe ex divinitate, & humanitate compoſitus juxta illud: *ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*, & ideò illa perfecta Latria, qua Chriſtus colitur per ſe, coadoratur humanitas eius.

211 Tandem ex his exemplis elici poteſt ratio à priori pro noſtra concluſione probanda, quia ut Chriſti humanitas cultu Latriæ intrinſecè, & per ſe adoretur, neceſſe non eſt, ut ipſa ſit ratio, & motivum adorationis, ſed ſufficit, ut ſit terminus, & obiectum, ad quod tendat actus ipſe adorationis ex intentione adorantis; Sed Chriſtum adorans non ſolùm intendit attingere ſuppoſitum, vel naturam divinam ipſo adorationis actu, ſed naturam quoque humanam, utpotè factam Verbi propriam per ſubſtantialem unionem; ergo non ſolùm intrinſecè, & per ſe tanquam obiectum *Quod* adoratur in Chriſto Deus, ſed etiam homo, ſeù humanitas ſubſtantialiter Deo unita. Maior probatur, quia in adoratione duo ſunt diſtinguenda, obiectum ſeù terminus adorationis, & motivum, ſeù cauſa illius, ſicut in quolibet actu diſtinguitur id, quod eſt terminus actus, & id, quod eſt cauſa, & motivum eiuſdem, ut patet in actu fidei; quod enim terminat eius aſſenſum eſt res ipſa revelata; quod autem eſt motivum, & cauſa credendi, eſt auctoritas, vel teſtimonium revelantis, ſicut ergo res revelata dicitur verè terminare actum fidei, etiamſi non ſit ratio motiva illius aſſenſus, ſic in propoſito poterit humanitas Chriſti verè terminare actum adorationis, etiamſi non ſit ratio eius motiva. Minor verò deducitur ex Patribus, & Conciliis citatis, quæ expreſsè prohibent nos in adoratione condividere Verbum ab humanitate, ſed uno, & eodem actu adorationis in utrumque tendere; & volunt Chriſti humanitatem eadem prorſus Latria, qua Verbum adorari, nam licet ipſa humanitas non ſit ratio, propter quam adoratur, eſt tamen id, quod coadoratur in Chriſto.

212 Quod autem humanitas Chriſti conſiderata cum omnibus donis ſupernaturalibus, etiam cum unione hypoſtatica, nequeat eſſe in Chriſto ratio formalis adorandi adoratione Latriæ; & eſt altera pars concluſionis noſtræ, quod alii ſub aliis dicebant verbis, Chriſtum, ut hominem, reduplicativè, non eſſe Latria adorandum; probat Doctor *loc. cit.* quia quantumcunque natura humana ſit unita Verbo, ipſa eſt creatura, nec creaturæ limites excedit; ergo nec cultus Chriſto debitus ſecundum iſtam naturam debet excedere cultum creaturæ debitum, cuiuſmodi eſt Latria; tum quia ut arguit ab initio quæſtionis, Latria eſt cultus debitus ratione ſummi dominii, at Chriſtus ſecundum naturam humanam non eſt ſummus Dominus; Et hoc idem probant quamplures Adverſariorum rationes, præſertim quas adducit Rubio *3. diſt. 9. q. 2. art. 2.* probant enim ſolùm humanitatem Chriſti non eſſe rationem adorandi, vel obiectum motivum adorationis, non tamen illam excludunt à termino adorationis; Quod autem in contrarium nititur reſpondere Vulpes *diſp. 38. art. 3. &* 4. ſolidè refutatur à P. Belluto *loc. cit.*

Dices, ſi ſolùm ſpecificativè adorari debet humanitas Chriſti adoratione Latriæ, & non reduplicativè, hoc eſt per meram concomitantiam; & coniunctionem eius cum divinitate, iam non per ſe adoraretur, ſed per accidens, & ad alterius adorationem; at hoc eſt falſum, quia tunc non faceret unum per ſe cum Verbo, qua de cauſa communiter reiicitur modus loquendi Durandi *3. diſt. 9. quæſt. 2.* ubi ait totum quidem Chriſtum adorari per ſe cultu Latriæ, humanitatem verò per accidens; ſequela maioris probatur, quia illud adoratur per accidens, quod adoratur cum eo, quod propriè eſt motivum, & cauſa adorationis; ergo ſi humanitas Chriſti ſolùm adoratur, quia eſt coniuncta Verbo, & divinitati, quæ eſt ratio formalis adorationis, ſequitur adorari tantùm per accidens adoratione Latriæ.

213 Reſpondeo, quod ſi adorari per accidens excludat tantùm obiectum formale adorationis; concedendum eſt humanitatem adorari per accidens in hoc ſenſu, neque hinc ſequitur, quod faceret unum per accidens cum Verbo, quoniam corpus per accidens movetur ad motum totius, & tamen conſtituit unum per ſe. Si verò ly per accidens excludat etiam obiectum materiale, & terminativum adorationis, in hoc ſenſu dicendum eſt humanitatem Chriſti adorari per ſe cultu Latriæ, & non per accidens, non quidem primariò, ſed ſecundariò, nam primariò, etiam ut obiectum materiale, adoratur perſona ipſa Verbi, ſecundariò verò ipſius humanitas, quia nimirum ſemper adoratio primariò tendit in illam partem, quæ importat excel-

len-